

Contenta.

1) Herlingia Synopsis Physi-
cae. Wittob. 671.

2) Eiusd. Synopsis Anthro-
pologiae physicae. Wittob. 671.

3) Puchneri Compendium
pneumaticae. Jenae. 673.

De somniis recte Poeta

Somnia fallaci ludunt
terrene ratione nocte:
Et pavidae mentes
falsae timere iubent.

Et quor. vastum.

Dr. Christian Fr. Pistorius
Nacht. 58. J. 780.

SYNOPSIS
PHYSICA

JOHANN. Eperlings/
PHYSICÆ PROFESSOR.
PUBLICI.

EDITIO NONA.

*Cum Gratia & Privilegio
Elect. Saxon.*

Seneca.

Non me cuiquam mancipavi, nul-
lius nomen fero: multum
magnorum Virorum Judi-
cio credo, aliquid & meo
vendico &c.

VVITTEBERGÆ,

Impens. Viduæ JOHANNIS BERGERI,
Literis MICHAELIS MEYERI,
Anno 1671.

2290 P. 12
PHYSICA
JONAS AMOT
PROFESSOR
PHYSIC

**KOENIGRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**

PHYSICA
JONAS AMOT
PROFESSOR
PHYSIC





Admodum Reverendo, Clarissimo & Excel-
lentissimo VIRO,

DN. PAULO Sper-
singen /

S.S. Theol. Doctori Pastori & Su-
perintendenti Freibergensi vigilan-
tissimo, &c. Fratri meo germano,

S. P.

PRima Dei Scriptura est,
Frater dilecte, speciosa
mundi machina. In hac di-
gito Domini scripta sunt,
multa & magna, dignissi-
ma spectatu. Nullus angu-
lus sine lineis, sine literis.

X 2

Ille

Ille Solis & Lunæ circui-
tus, ordo iste siderum ex
dispositione lucentium,
quid nisi grata mortalibus
præbent spectacula? Cu-
riositas humana spectacu-
la quærit, & emit argento:
sed vel in solo Sole habet,
quod quærit, quod pretio
erit. Ingens terrarum
pondus, pendulum in æ-
re medio, quàm multa ha-
bet, quæ conspeximus,
quæ commiremur? Hic
venæ sunt, quas aperiunt,
anxiâ sollicitudine quæ-
rentes,

rentes, an posteris relique-
rit aliquid avaritia vetus.
Hic specus sunt, in quos
descendunt, & longâ defa-
tigantur viâ, ob possessio-
nes, quarum nemo post vi-
tam erit possessor. Et in su-
perficie ipsâ herbæ sunt &
arbores, dignissimæ de
quibus Reges & Principes
philosophentur. Protectio
nulla scientia, nulla sapien-
tia, Theologiam si demas,
divinior naturali est. Per
hanc gentiles eo usque ve-
nere pietatis, ut Deorum
3501) (3 ple-

plena esse omnia dicerent.
Sapiens Seneca quoties per
occulta nature ibat, divina
se tractare gloriabatur. Et
observationem meretur,
quod priscos Ecclesie Do-
ctores nulla alia Philoso-
phiae portio occupaverit
magis. Reverentiam mere-
tur, quod primus homo in
beatâ illâ innocentiae con-
ditione, in hac cum primis
exercuit ingenium. DEUS
enim Gloriosus adductis
undequaque animalibus
nomina ab Adamo postu-
labat

labat. Ut periculum face-
ret naturalis scientiæ, quã
digitis omnipotentia in-
scripserat. Non itaq; pudet
me in studio hoc de curre-
re subinde, & consumere
ætate. meretur id rei digni-
tas, quæ magnificentia sui
me detinet. Tibi vero, Fra-
ter dilecte, inscribere volui
Synopsis præsentem. Ut
obsidem habeas fraterni
amoris. Scripturæ librum
explicandum tibi tradidit
Altissimus: sed non pige-
bit è Naturæ libro paucas

) (4 in-

intueri pagellas. Concor-
dant libri hi, & alter alte-
rum declarat per sæpe. In
primo sacri codicis capite
ipse Spiritus Domini inter-
pretem agit Naturæ. Et
quod in limine, id in libro
quovis, in quâvis paginâ
ferme videre licet. Quot
enim de avibus, quot de
piscibus, de arboribus, de
gemmis, & cæteris naturæ
muneribus, cedro digno
effata per universam Ipar sa-
sunt Scripturam? Quæ
non fabulis anilibus, de
Phœ-

Phoenice, de Pelicano, de
Cygno, & aliis, sed veris ra-
tionibus & experimentis
veniunt declaranda. Hi-
lari peto accipias fronte
Frater amande, hoc munus
chartaceum. DEUS TI-
BI & Tuis benedicat.

Dat. Witteberg.

26. Sept. 1645.

Frater

Tuus

**Johannes Sperling/
Profess. Publ.**



Ad Lectorem

Amicum.

S. P.

Compendia vocant dispendia.
Ob brevitatem obscuram, &
obscuritatem brevem. Sed nec
omnis prolixitas perspicua, nec
omnis brevitatis obscura. Sæpè
commentarios legimus, ut am-
plissimos, sic obscurissimos. Bre-
vitas delectat mirificè, &

*Nemo silens placuit, multi
brevitate loquendi.*

Nec

Nec delectat modo: sed & memoria & iudicio inservit vehementer. Firmius longè tenemus, quæ paucis verbis comprehensa sunt. Sincerum magis damus iudicium de re breviter & sine verborum strepitu propositâ. Brevibus summis dicere, quæ prolixè narravere alii, artis est. Non multis eget verbis veritas, sed simplici brevitate contenta est probè. Si vivere posset Pythagoras sine cibo, etiam oleribus parceret. Si sensa sua Philosophus sine prolixitate communicare potest, prudenter abstinet à multiloquio. Prodit nunc Synopsis nostra, renata & renovata. Facie eâ quâ duodecim abhinc annis se primum præbuit spectandam. **Non ut dominetur; sed**
ut

ut seruiat & discipulis & docen-
tibus. In eodem prato & bos
herbam, & canis leporem, & ci-
conia lacertam, & virgo florem
reperit. Colligas hinc tibi, Le-
ctor Amice, quod ad palatum tu-
um. Si non placuerint omnia,
forsan nec displicebunt cuncta.
Prodesse animus mihi est, non ob-
esse. Et plura hactenus tempo-
rum prohibuit diritas: sed nunc
speramus meliora. Vale
& fave.

SYNO.



SYNOPSIS

PHYSICA.

PROOEMIUM.

De

Naturâ & Constitutione

Physicæ.

PRÆCEPTA.

I.

Phyfica est scientia corporis naturalis, quatenus naturale est.

II. Dividitur in Partem Generalem & Specialem.

III. Generalis est, quæ corpus naturale in genere considerat, ejusque causas & affectiones exhibet.

IV. Specialis est, quæ corporis natura-

A

tura-

2 SYNOPSIS PHYSICA.

turalis species perpendit, earumque causas & affectiones proponit.

QVÆSTIONES.

I. *Quibusnam tota absolvatur
Physica?*

Resp. Doctrinâ Essentiali & Extræ essentiali seu Procœmiali. Ad illam spectant tria: Corporis naturalis Causæ, Affectiones, & Species. Hæc Definitione & Divisione cum primis absolvitur.

II. *Quibus constet Physicæ definitio?*

Resp. Genere & Differentiâ. Illud est Scientia. Demonstrantur enim in Physicâ affectiones de suis subjectis per proximam & immediatam causam. Hæc à subjecto desumitur, quod est corpus naturale, quatenus tale. Duo enim hîc sese obferunt: *Materiale* seu res considerata, & *Formale*

SYNOPSIS PHYSICA

male seu modus considerandi. Illud corpus naturale est; hoc quatenus naturale.

III. *Quenam Physicæ sint causæ?*

Resp. Efficiens causa vel est prima vel secunda. Illa DEUS: hæc, homines sunt. Finis vel est Remotus, vel Proximus. Ille gloria DEI est. Omnia enim à DEO, omnia ad DEUM. Cuncta bonum quæerunt, unde prodi-erunt. Hic, veritas ad corpora naturalia restricta. Materiam & Formam non habet. Hæ enim ut omnibus, ita & solis corporibus naturalibus competunt.

IV. *Quenam controversiarum Physicarum sit norma?*

Resp. Non homo, sed magnus Naturæ liber. Hunc veteres tribus constare dixere paginis, cœlo, aquâ & terrâ, ac totidem literis, stellis, piscibus, & terrestribus. Sed nos paginas li-

4 SYNOPSIS PHYSICA.

bri hujus tot facimus, quot species mundi deprehendimus, & literas tot, quot specierum dotes.

V. An Scriptura Sacra sit Controversiarum Physicarum norma?

Resp. Non sanè, quippè cujus alius finis, alia intentio est. Non tam corporum naturalium ratio, quàm hominum ad DEUM conversio ibi attenditur, ibi intenditur. Interim à Physico ea negligenda non est. Multa enim sine optimo de rebus naturalibus proponit. Quod affirmat Scriptura Sacra, id affirmet & Physicus. Quod negat, neget. Quo de tacet, taceat neutiquam.

*VI. An Physicus allegans Scripturam S. faciat νετὰ βασιον εις άλλο-
υόσιν.*

Neg. Committitur hæc, ajunt, cum ex
una

SYNOPSIS PHYSICA. 5

unâ disciplinâ in aliam fit transitus. Ex
 Physica in Theologiam; & vice versâ.
 Nec unquam caret vitio, quia diversus
 considerandi modus in diversis habe-
 tur disciplinis. At Scriptura Sacra di-
 sciplina non est, sed Liber saltem.
 Hunc diurnâ nocturnaq;volvant ma-
 nu, non Theologi modò, sed & Juris-
 consulti, Chronologi, Physici, Politi-
 ci & alii. Omnes ibi invenient succum
 & sanguinem. Neq; modus conside-
 randi mutatur in dictorum citatione
 recta. Ut, Sol oritur cum calore, Jac. 1.
 v. 11. Aër confluit, Sap. 5. v. 11. 12. Granum
 tritici nisi mortuum fuerit, fructum
 non fert. Joh. 12. v. 24. 1. Cor. 15. v. 36.
 37. Pardus non mutat colores, neqve
 æthiops. Jerem. 13. vers. 23. Ficus non
 dat oleum, neqve vitis ficus. Jac. 3. v.
 12. Qualem & quantam in allega-
 tione horum committet μεταβασις
 Physicus? Ubiqve unus idemq; confi-

6 SYNOPSIS PHYSICA.

derandi modus, unus & idem sensus,
una & eadem veritas.

*VII. An Physica proferat contraria
Theologia?*

Neg. Verum enim vero consonat
ubique. Si quid contrarietatis inesse
videretur, id omne sequentibus averti-
tur Distinctionibus. Aliud quippè
Contradictio Vera est, aliud Apparens.
Aliud Concretum seu Physicus, aliud
Abstractum seu Physica. Aliud Usus,
aliud Abusus. Aliud contra naturam,
aliud supra naturam.

*VIII. Cur Physica dividatur in Par-
tem Generalem & Specialem?*

Resp. Quia corpus naturale menti
nostræ sese insinuat modo duplici, Ge-
nerali & Speciali. Totum autem esse
scientiæ à subjecto dependet scientifi-
co. Scientifico, inquam. Aliud enim
est subjectum Inhætionis, aliud In-
for-

SYNOPSIS PHYSICA.

formationis, aliud Prædicationis, aliud Operationis, aliud Cognitionis seu Scientificum.

AXIOMATA.

I. Physica scientia nobilissima est.

Nobilissimum enim habet Objectum. Cœlum nempe, stellas, terram, bruta, homines, cunctaque corpora à DEO Opt. Max. sapientissimè & perfectissimè elaborata. Magnus est Dominus DEUS noster, non solum in magnis, sed magnus etiam in minimis, & maximus in vilissimis.

II. Physica scientia jucundissima est.

Jucundissimum enim habet Objectum. Cœlum, stellas, undas, cunctaque jucunditate & amœnitate plenissima. Nihil hîc injucundum, nihil inamœnum, nihil deforme est: sed omnia pulchra, ac splendida sunt, faciesque purissimas cunctis ostentant mortalibus.

8 SYNOPSIS PHYSICA.

III. Physica scientia utilissima est.

Tot enim corporum tenere virtutes, suavissimum animi pabulum, veraq; mentis perfectio est. Quin & Theologo, Jurisconsulto, Medico, omniq; in univrsam homini, quantum præstet utilitatis, novit, quicunq; Epicteti imitari valet oves. Hæ enim quantum comedissent, non sesquipedalibus apud Pastorem jactitabant verbis, sed reipsâ monstrabant, vellere, lanâ, lacte.

IV. Physica scientia propriissima est.

Ad sunt enim hîc cuncta scientiæ veræ requisita. Subjectum scientificum, affectiones, & causæ proximæ. Datis hisce, datur scientia. Opinio & error homines cum vexant, non jam Physicæ id opus est, sed Physici. Nos enim in luce rerum tenui caligamus, in melioci cœcutimus, in majore cœci sumus, in maximâ insanimus, subtilis exclamat Scaliger.

PARS

SYNOPSIS PHYSICA. 9

PARS GENERALIS.

De
CORPORE NATURALI
in genere.

De
Causis Corporis Naturalis.

CAPUT I.

De
CAUSIS IN GENERE.

PRÆCEPTA.

I.

CAUSÆ corporis naturalis sunt principia, quæ in esse illius influunt.

II. Dividuntur in Internas & Externas.

A 5

III. In-

III. Internæ sunt, quæ corporis naturalis essentiam ingrediuntur, ut Materia & Forma.

IV. Externæ sunt, quæ corporis naturalis essentiam non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt, ut Efficiens & Finis.

QVÆSTIONES.

I. *Cur hic de corporis naturalis causis, & non potius de principiis agamus?*

Resp. Scientia omnis è causis fluit. Felix, qui poterit rerum cognoscere causas. Recto ergò tramite accedendæ sunt causæ, ne ambiguo termino principii in principio mirè defatigemur ac decipamur.

II. *An causæ corporis naturalis etiam sint Materia & Forma?*

Resp. O. n. ai. nò. Communiter quidem

dem causæ nomen tantum Efficienti ac Fini tribuunt: sed absq; causâ, absq;ve ratione. Cum enim Materia & Forma non minus, quàm Efficiens & Finis in esse corporis naturalis influant, cur non pro causis venditentur?

III. An principia corporis naturalis etiam sint Efficiens & Finis?

Resp. Utiq;ve. Communiter principia solum Materiam, Formam & Privationem vocant: sed non tam bene, quàm suetè: Cum enim Efficiens & Finis causæ sint, cur non etiam principia sint? Cur Plato vapulet, qui tria esse voluit principia, Materiam, Ideam, & DEUM? Cur Pythagoras, qui Infinitum, Unum, & Duo, h.e. DEUM, Formam & Materiam?

IV. Quid de Privatione tenendum?

A 6

Resp

Resp. Privationem vocant formæ
absentiam cum naturali potentiâ ad
illam. Quæ cum in corporibus inge-
nerabilibus & incorruptibilibus non
datur, in malâ etiam hypothese de for-
marum origine fundetur, improban-
a ac rejicienda venit.

AXIOMATA.

I. Causæ externæ non com-
ponunt.

Essentiam enim corporis naturalis
non ingrediuntur. Extra corpus sunt,
non intra. Hinc siue duplex, siue tri-
plex rei unius causa efficiens sit, nec
major, nec minor inde oritur compo-
sitio. Ad internas recurrendum cau-
sas, de compositione ubi sermo.

II. Causæ internæ ad corpora spe-
ctant.

Corporis enim naturalis essentiam
ingrediuntur, non rei cujusvis. Hinc
cor-

corporis naturalis principia, corporis naturalis partes essentialis vocantur. Non ergo de formarum quæramus materiâ, ne vel corpora faciamus formas, vel quæ corporum sunt, trahamus ad res quasvis.

III. Causæ internæ essentiam conjunctim, non disjunctim dant.

Una enim illarum insufficientis est, semperque requiruntur ambæ. Hominem non facit anima sola, neque solum corpus, sed & anima & corpus. Idem esto judicium de corporibus omnibus.

IV. Privatio nullam in Physica meretur sedem.

Ad Generalem enim non spectat partem, quia nec causa, nec principium generale est. Non est forma, non materia, non efficiens, non finis.

Qui-

Quibus esse quid putatur, istis generationis Principium dicitur. Sed dicitur, Quippe nec adest, nec adesse debet, ante generationem, nec in generatione, nec post generationem. In generatione forma adest: Ergò privatio abest. Post generationem forma itidem adest: Ergò Privatio vicissim abest. Ante generationem forma adesse non debet: Ergo nec Privatio. Ergò, ut nullam habet sedem in Parte Generali, ita & nullam meretur in Parte speciali.

CAPUT II.

De

MATERIA.

PRÆCEPTA.

I.

Materia est causa interna; ex quâ corpus naturale constituitur.

II, Di-

- II. Dividitur in Simplicem & Compositam.
- III. Simplex est pura materia, cujus essentiam nulla ingreditur forma, ut materia Coeli, Ignis, omniumque corporum simplicium.
- IV. Composita est, integrum corpus; ex quatuor Elementis mixtum, ut materia hominis, equi, auri &c.

QVÆSTIONES.

I. *An Materia Simplex sit Materia Prima?*

Resp. Definitur Materia Prima, subjectum uniuscujusque, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc redit ultimum. Sensus est, omnis

mnis generationis & omnis corruptionis subiectum esse materiam primam; quippè quæ velut mater fœcunda omnes pariat formas. Sed materiæ simplicis id non competere, videt quivis. Simplex Cœli materia, cujus quæso generationis aut corruptionis subiectum est? Nullius sanè. Idem de cæteris simplicibus materiis censendum.

II. An primarium materie munus sit, generationis & corruptionis esse subiectum?

Neg. Data est materia in primis, ut ex eâ corpus naturale constituatur. Hoc munus exercet ubiqvè. Minus nobili utilitate ad generationem & corruptionem concurrat. Inde & ibi est materia, ubi deest generatio, deest corruptio. In cœlo sanè nec generatio, nec corruptio habetur, materia tamen præstò est.

AXIO-

AXIOMATA.

I. Materia est ens actu.

Est enim extra suas causas, constituit cum formâ corpus, actu subiecta est formæ. Quæ omnia non sanè Entis potentialis sunt, quippè quod in causis est, non extra eas: cuius etiam nec agere est, nec pati.

II. Materia est ignobilior formâ.

Subjicitur enim huic, patitur, disponitur, & tractatur ab hâc. Quæ omnia formæ indicant nobilitatem, materiæ ignobilitatem.

III. Materia nobilior est accidentibus.

Substantia enim est, quæ præstantior accidente quovis. Accidentis esse inesse est: At materia & est, & esse largitur aliis.

IV. Materia substantia incompleta est.

De

De se enim & per se speciem non absolvit, sed formæ postulat influxum, cujus demum operâ perfecta & completa oritur substantia.

V. Materia prima figmentum est.

Nullibi enim nisi in libris & hominum quorundam cerebellis deprehenditur. Generationes & corruptiones nunquam in tali spectantur materiâ, sed semper in corporibus inchoantur, consumuntur.

CAPUT III.

De

FORMA.

PRÆCEPTA.

I.

Forma est causa interna, per quam corpus naturale constituitur.

II. Dividitur in Genericam & Specificam.

III. Ge-

III. Generica est, quæ speciem non constituit, magisquæ materiæ, quàm formæ rationem habet, ut Forma terræ, aëris aut aquæ in homine.

IV. Specifica est, quæ speciem constituit, certarumquæ affectionum & effectuum causa existit. Ut forma hominis, equi, canis. &c.

QVÆSTIONES.

I. *An formæ educantur?*

Resp, De origine formarum cum res est, censent, eas educi è potentiâ materiæ. Verùm potentia hæc aut materiæ substantia, aut accidens est. Si substantia, mutaturne hæc in formam? Non perit materiæ substantia, sed corpori velut pars essentialis inest, Si accidens est, mutaturne hoc in substantiam? Nullum unquam accidens

in

in substantiam abit. Ne mille quidem accidentia pro unicâ sufficiunt substantiâ.

II. An formæ inducantur?

Resp. A cœlo & astris induci formas in materiam præparatam & elaboratam censet Fernelius. Sed particularem, determinatam, & proximam causam postulant formæ. Cœlum & astra causæ universalis, indeterminatæ & remotæ agunt partes.

III. An formæ creentur?

Resp. Distingvenda hic tempora, ne DEO tribuatur, quod Naturæ est, & Naturæ, quod DEI. In primâ mundi creatione formæ omnes creabantur jussu & verbo DOMINI. Hodie verò ad creationem formarum qui confugiunt, saltu immani è viâ generationis in viam creationis ruunt.

IV. An formæ generentur?

Resp. Hodie utique nulla alia formas

mas de novo producendi datur via, quam generatio. Substantiæ enim sunt: Ergò vel creantur vel generantur. Tertium non datur. Sed non creantur: Igitur generantur. Qui congenerari eas dicit, nihilominus generari eas infert. Congenerari enim ut nomine, sic & re infert generari.

V. An formæ traducantur?

Resp. Traductio formarum nihil aliud est, quam istarum cum semini- bus propagatio; Quam propagatio- nem cum testetur Natura, Naturæ id asserat scrutator. Homo cum genera- tur, forma traducitur. Eo nempe mo- do, quo semine mediante anima hu- mana se multiplicat.

VI. An formæ in corporum interitu pereant, & quomodo?

Resp. Pereunt sanè exceptâ ratio-
nali

nali animâ omnes. Qvis enim omnium equorum & omnium canum animas corporibus jam dudum corruptis in mundo pueret superstites? Non tamen formæ illæ abeunt in privationem. Sic enim cum esse desinerent, esse inciperent. Sed verè annihilantur, dum nec in substantiam, nec in accidens ullum mutantur.

AXIOMATA.

I. Formæ ex materia non fiunt.

Nec enim materiæ substantia, nec ejusdem accidentia in formas abeunt. Imò ex materiâ non nisi compositum fit: at forma non compositum, sed compositi principium seu causa est.

II. Formæ in materiam non abeunt.

Non enim ex materia constant,
in

in quam abire queant. In privationem si abeunt, non tam abeunt, quam redeunt. Datâ enim privatione, datur inevitabili necessitate juxta istorum dogmata forma.

III. Unius rei non nisi una est forma.

Specifica nempe, quæ certam constituit speciem. Sic equus unam habet formam specificam, unam canis, unam leo. Plures tamen Genericæ in una re quin sint, nil impedit. Materiæ enim illæ induunt indolem, quæ non simplex semper, sed composita sæpè est. Sic in eqvo reperire licet formam ignis, aëris, terræ, aquæ, &c.

IV. Forma dat esse rei, distingvi & operari.

Specifica scilicet quæ sola formæ
gau-

gaudet munere. Dat verò esse non totum, sed specificum. Una enim saltem rei naturalis pars est. Dat distingvi, non quodvis, sed specificum. Quale enim esse est, tale etiam distingvi est. Dat operari, non quodlibet, sed specificum & proprium. Ut enim se res habet in essendo, ita & in operando. Sic anima humana homini largitur speciem, differentiam, & operationes verè humanas.

V. Forma nunc latet, nunc patet.

Duplex in formis deprehenditur actus. Alterum vocant Entitativum: Alterum Formalem. Ille nudam formarum entitatem & substantiam notat: hic influxum & officium illarum connotat. Cùm latent, illum habent, hoc carent. Cùm patent, cùm hoc, tùm illo gaudent. Hyeme latentes hirundines, muscæ & ranæ suas

suas habent formas, operationes autem harum conspicuæ non sunt. Hinc latere, hinc influxum seu operationes non habere dicuntur. *Tota, integra, & perfecta*, inquit D. Jacobus Martini, *formæ natura consistit in tribus: ut informet materiam & ita compositum constituat: ut compositum ab omnibus aliis speciebus distingvat: & tandem ut sit causa actionum in composito.* Datur primum, datur secundum in formis latentibus, tertium non datur.

VI. Forma nunc informat nunc efficit.

Non tantum formæ sustinet partes, sed efficientis etiam tuetur vices. Unde enim omnes corporum naturalium operationes? Qvis pueris circa septimum ætatis annum format dentes? Qvis avibus fingit pingitq; pēnas? Qvis in arboribus progenerat folia, flores, fructus? **forma, & non materia.** In ipso matris

B

utero

utero omnem membrorum omnium
 quis præparat apparatus? Nil nisi
 forma. Ad DEUM si appellas, idem in
 canis, idem in suis, idem in pulli gal-
 linacei, idem in pediculi formatione
 agas, necessum habes. Nec natura
 sine DEO format, nec DEUS sine
 naturâ.

CAPUT IV.

De

NATURA.

PRÆCEPTUM.

Natura est causa interna, quæ
 quodvis corpus naturale su-
 am habet essentiam, affectio-
 nes, actiones & passiones. Sic
 natura dat eqvo essentiam equi-
 nam, potentiam hinniendi, cur-
 rum trahendi, adeoque agendi
 & patiendi.

QVÆ

QVÆSTIONES.

II. An natura Descriptio vulgò prolata careat vitio?

Resp. Inquiunt: Natura est principium & causa motus & quietis ejus, in quo inest primò, per se, & non secundum accidens. Ubi verba singula singula pariunt litigia. Quid notat principium? Quid causa? Quid motus? Quid quietis? Quid particula Et? Quid primò? Quid per se? Quid non secundum accidens? Verbo dicam: Nunc omittenda ponuntur, nunc ponenda omittuntur, variæque ταυτολογίας & ἀκυρολογίας committuntur.

III. An natura senescat, viresq; rerum langvescant?

Resp. Audimus non rarò Cœlum

descendisse, & ad terram nunc inclinare propius vetustate, Elementa affici & affligi variè, loca esse arida & effœta, quæ olim fuerint fœcunda. Eclipses esse & frequentiores & horridiores, novos hodiè dari morbos veteribus ignotos, plantas & medicamina degenerare, viribusque aut nullis aut exiguis pollere, ipsos denique homines cum primis & antiquis illis nec vivacitate, nec quantitate, nec sanitate, nec formositate convenire, cunctaque sponte suâ ad interitum vergere. Ast si vera hæc, mundi interitus non supernaturalis ac miraculosus, sed naturalis expectandus. In specie, descendisse Cœlum, figmentum est, jamdudum à naturæ scrutatoribus explosum. Elementorum vires qui trahit in dubium, ignem accedat & plus satis incalescet. Eclipses esse horridiores & frequentiores, monstrum

strum in Mathesi est. Plantis vires loca adimunt & tempora anni, absque mundi senio. Homines hodiè deteriores vetustioribus, non ob naturæ defectum, sic enim nulli forent: sed ob morum depravationem. Mutata est non natura, sed hominum vita.

AXIOMATA.

I. Contra naturam DEUS nihil agit.

Non enim opposita sunt, DEUS & Natura, sed subordinata. Ille supra hanc, hæc sub illo est. Non ille contra hanc, nec hæc contra illum est. Ex amicissimis inimicissimos, ex Imperatore Tyrannum, & ex DEO non DEum facere, nefas est.

II. Opus naturæ est opus intelligentiæ non errantis.

B 3

DEO

DEO non secus ac naturæ ipsi ad-
scribuntur naturæ opera. Vires enim
operandi concessit primitus, & etiam-
num ad opera quævis concurrit effica-
citer. Cum fortibus agit fortiter, cum
debilibus debiliter, cum necessariis
necessariò, cum contingentibus con-
tingenter.

III. Natura non facit saltum.

Ubiqve enim procedit gradatim,
ab imperfecto ad perfectum tendens.
Non habemus hominem perfectum,
antequam spectemus imperfectum. Et
ipsæ quoque literæ suam vivere viden-
tur infantiam, pueritiam, ætatemqve
virilem.

IV. Natura non deficit in neces- sariis.

Nihil hic in augustissimo mundi
reperire licet theatro, quod suis de-
fraudatum sit dotibus, sed dedit Na-
tura cuique tantum, quantum sat est.

Et

Et in una specie cum dantur, in alia quæ non occurrunt, liberalitas naturæ accrescit, non decrefcit. Huic communicavit pennas, illi squamas, isti testas, alii setas, alii vellera.

V. Natura semper facit id, quod est optimum.

Sui nempe cum juris est, ab aliis non impedita causis. Optimum hoc in omni eluce genere, tam latè patens, quàm latè ipsum naturæ latifundium. Optimum natura facit hominem, optimum canem, optimam muscam, optimam formicam.

CAPUT V.

De

EFFICIENTE.

PRÆCEPTA.

I.

Efficiens est causa externa, à quâ corpus naturale producitur.

B 4

II. Di-

II. Dividitur 1. in Universale & Particulare. 2. in Remotum & Proximum. 3. in Principale & Instrumentale. 4. in Totale seu solitarium, & particulare seu Socium. 5. in per se & per accidens.

III. Universale est, quod ad unum & certum corpus naturale producendum determinatum non est.

IV. Estque vel Primum, vel Secundum.

V. Primum est, quod supremum est, cujus influxu cuncta corpora naturalia producuntur, ipsum verò superioris causæ influxum ferre nequit. Tale est DEUS, à quo corpora naturalia omnia & singula.

VI.

- VI. Secundum est, quod non plane supremum est, & cujus influxu multa quidem corpora naturalia producuntur, sed ita, ut & hoc ab influxu superioris causæ dependeat. Talia sunt corpora cœlestia.
- VII. Particulare est, quod ad unum & certum corpus naturale producendum determinatum est. Sic homo tantum hominem, non lapidem, non arborem, non equum generat.
- VIII. Remotum est, quod corpus naturale mediatè, & aliarum causarum interventu producit. Sic Sol est causa remota hominis, equi, canis.
- IX. Proximum est, quod corpus

naturale immediate, & sine
 aliarum causarum interventu
 producit. Sic homo est cau-
 sa proxima hominis, equus
 equi.

X. Principale est, quod corporis
 naturalis productionem per
 se intendit, nec ulli alii causæ
 inservit. Sic parentes sunt cau-
 sa principalis filii, equus gene-
 rans equi geniti.

XI. Instrumentale est, quod cor-
 poris naturalis productionem
 per se non intendit, & ad pro-
 ducendum illud principali in-
 servit. Sic spiritus & calor
 sunt instrumenta generanti ad
 productionem geniti inservi-
 entia.

XII. Totale seu Solitarium est,
 quod

quod solum sufficiens est ad corpus naturale producendum, nec alterius similis operam requirit. Sic DEUS, ut solitaria causa in principio creavit cœlum & terram. Sic solitariae causæ sunt plantæ cum generant, aurum cum se multiplicat.

XIII. Partiale seu Socium est, quod solum sufficiens non est, ad corpus naturale producendum, sed alterius similis operam & concursum requirit. Sic cæ sociæ producendi hominis sunt mas & foemina, equus & equa.

XIV. Per se est, quod ex intentione corpus naturale producit. Sic homo generans ho-

minem perfectum causa per se est, quia effectum illum intendit.

XV. Per accidens est, quod citra intentionem corpus naturale producit. Sic homo generans hominem monstruosum, causa per accidens monstri istius est, quia illud non datâ operâ, sed incidenter producit.

QVÆSTIONES.

I. An in generationibus corporum Naturalium acquiescere debeamus in causis universalibus.

Neg. Dato enim certo & determinato effectû, non in causis, quæ indifferententer se habent ad omnes effectus producendos acquiescendum: sed

sed ad illam quæ unicè ad effectum hunc determinata & restricta est, tendendum. Hinc frustra dicunt, Solem generare ranas, mures, vermes, & alia. Ut sol & homo generant hominem: ita & Sol & rana ranam, Sol & mus murem, Sol & vermis vermem.

II. An in generationibus corporum naturalium acquiescere debeamus in causis remotis?

Neg. Causæ enim istæ corpora naturalia mediare saltem producunt. Ergò inquirendum, quibus causis mediantibus hoc vel illud corpus producant. Unde iterum cum ranæ, mures, vermes, metalla & similia generantur, malè in Sole ac cæteris stellis acquiescunt. Ut hominis & canis causa remota Sol est: ita & muris, ranæ, vermis, auri & argenti.

III. *An in generationibus corporum naturalium acquiescere debeamus in causis instrumenta- libus?*

Neg. Instrumentales causæ Principalibus inserviunt. Hæ ergò quærendæ, hæ ponderandæ. Hinc quoties calor rei dicitur autor, toties instrumentum saltem nominatur, cum princeps nominari debuisset causa. Turpe est, commendare malleum, & præterire fabrum.

IV. *Quanam in causis Sociis requiratur similitudo?*

Resp. Non tam essentiæ, quàm influxus. Hinc ut non semper duo equi currum trahunt, sed sæpè equus & bos: ita non semper canem duo canes, hominem duo homines generant, sed canem nonnunquam canis & lupus; hominem homo & equa,
aut

aut etiam capra. Quamvis qualis causa, talis effectus sit, & monstruosam commisionem monstruosus sequatur partus.

AXIOMATA.

I. Effectum determinat causa particularis, non universalis.

Hæc enim uniformiter: illa difformiter agit. Hæc virtute unâ eademqve: illa variâ ac multiplici gaudet. Agit cum omnibus Cœlum, & communi favore juvat ortum omnium: quod verò hæc nascatur species & non illa, à speciali & particulari fluit causâ.

II. Effectum ponit causa proxima, non remota.

Hæc enim remotè & mediatè: illa proximè & immediatè effectum tangit. Hæc confusam parit cogni-

tio)

40 SYNOPSIS PHYSICA.

tionem: illa distinctam propriamque
scientiam. Hominem Cœlum non po-
nit, nec canem, nec equum, nec ra-
nam, nec murem: sed ab homine ho-
mo, à cane canis, ab eqvo equus, à ra-
nâ rana, à mure mus gignitur.

III. Effectum ponit causa princi-
palis, non instrumentalis.

Hæc enim cœca & serva est: illa
cognitione ac dominio gaudet. Hæc
regitur & ordinatur: illa regit, ordi-
nat & disponit. Hominem, canem,
ranam aut vermem calor non ponit:
sed principalis quærenda causa, anima
scilicet quæ calore utitur.

IV. Effectus causâ suâ nobilior
non est.

Quicquid enim habet, ab hac ha-
bet. Unde ergò major illa nobilitas.
Hinc accidens substantiæ causa non
est,

est. Hæc enim illo longè nobilior. Nec Cœlum causa animatorum & viventium est. Omne enim animatum præstat inanimato: omne vivum non vivente.

V. Causæ sociæ stant pro una.

Conjunctim enim influunt, & quod una præstat causa solitaria, id demum duæ agunt sociæ. Hinc defectum & imperfectionem inferunt. Frustrâ ergò de anima quæritur, an à Patre, an à matre veniat? An pater totam det, an partem ejus? Pater & mater conjunctim influunt, pro una stant causa, à quâ unus iste effectus.

CAPUT IV.

DE

F I N E.

P R Æ C E P T A.

I.

Finis est causa externa propter
quam

quam corpus naturale producit.

II. Dividitur in Universalem & Particularem.

III. Universalis vel absolutè talis est, vel Respectivè.

IV. Absolutè universalis est, cujus gratia totum mundi systema à DEO creatum, hucusque conservatum, & porro conservandum est. Talis est gloria DEI. Omnia propter unum illudens sunt, quod non est propter aliud præter se.

V. Respectivè universalis est, cujus usus totus mundus cum omnibus suis partibus inservit. Talis est homo, mundi Epitome, & Naturæ delicia.

Particularis est, ad quem
tan-

tanquam bonum suum res
quævis in suo genere è naturæ
præscripto tendit. Sic finis ho-
minis est sapere, Solis diem &
noctem constituere, &c.

QVÆSTIONES.

I. *An tota Natura propter finem
agat?*

Aff. Naturam propter finem non
agere, qui existimant, ridentur ab Ari-
stotele, exploduntur à Platone, Galeni
jussu etiam vapulant. Nec absque ra-
tione. Sapienter enim natura agit. At
sapiens finem respicit. Semper uno &
eodem modo Natura agit. Si jam te-
merè & inconsulto ageret, non perpe-
tuò modum observaret eundem.

II. *An vermes, musca, papiliones,
aliag, animalia propter finem
fiant?*

Aff.

Aff. Habent utique suum finem U-
niversalem, habent etiam particula-
rem. Ille est partim DEI gloria, par-
tim hominum utilitas. Annunciant
enim DEI potentiam, sapientiam, &
bonitatem. Homini verò licet non
cedant immediatè in alimentum: ta-
men ab aliis comeduntur brutis, quæ
bruta profunt & famulantur homini-
bus. Hic, pro specierum varietate
varius, in hac tamen mentis caligine
summè obscurus est.

*III. An equus intentione propria ge-
neret equum, canis canem,
leo leonem?*

Resp. propria intentio alienæ
intentioni opponitur. Isti nempe,
quam DEO adscribunt. Putant enim,
DEUM saltem specierum propagati-
onem intendere, naturam verò par-
ticularem propriâ intentione care-

re,

re. Ast, quod putant, malè putant. Si enim non propriâ gauderent intentione, non causæ per se, sed causæ per accidens in toto generationis actu essent.

AXIOMATA.

I. Omnia propter hominem, homo propter DEUM,

Homini enim lucent sidera, surgunt montes, descendunt valles, foetificat terra parturit natura universa. Ut verò homo non à se, ita nec propter se. Ultimus noster finis, non in Divitiis, non in Deliciis, non in Honoribus, non in Pulchritudine, non in Scientiis: sed in Gloria DEI, in Sapientia, Potentiæ & Clementiæ divinæ, celebratione consistit.

II. Omnia suos cognoscunt fines.

Aranea, quæ laxos in foribus suspens-

pen-

pendit casses, non id cæco facit ausu.
 Hirundo cum rostro stramina & lu-
 tum disponit, opusq̄ve luteum semi-
 circulari formatum figurâ celsâ sub-
 trabe figit, nec agit, nec appetit, quod
 nescit. Ignoti nulla cupido, adest ergo
 cognitio, & in hisce, & in aliis cunctis.
 Hoc saltem discriminis interest, quod
 reperire liceat nunc Cognitionem In-
 tellectualem, nunc Sensualem, nunc
 Naturalem. In homine cernimus In-
 tellectualem, Sensualem & Natura-
 lem. In brutis Sensualem & Natu-
 ralem. In plantis & inanimatis Na-
 turalem tantum.

CAPUT VII.

De

FORTUNA.

PRÆCEPTA.

I.

Fortuna est causa per accidens
 in actionibus hominum cer-

to

to confilio susceptis. Sic cūna
 terram fodit agricola, ut feli-
 citer proveniant fruges, & the-
 saurum invenit, de fortunā
 suā gloriatur.

II. Dividitur in Bonam & Ma-
 lam.

III. Bona est, cūm eventus, qui
 accidit, bonus est. Sic fortuna
 bona est, cūm rusticus terram
 fodiens thesaurum invenit.

IV. Mala est, cūm eventus, qui
 accidit, malus est. Sic mala for-
 tuna est, cūm rusticus terram
 fodiens frangit rutrum.

QVÆSTIONES.

1. *An & ubi detur Fortuna?*

Resp. Communis hominum vox
 est: Non putaram. Fortuna ergò da-
 tur

su.
 lu-
 ni-
 sub
 od
 gò
 tis.
 öd
 In-
 unc
 In-
 ra-
 tu-
 Na-
 ns
 er-
 to

tur. Qvippe in hominum actionibus certo consilio susceptis imperatus cecidit eventus. Datur verò Fortuna in agentibus ἐν προαίρεσις certo consilio. Non datur in agentibus ἀ ἐνὸς προαίρεσις, absque consilio. Hinc non cadit in inanimata, animata vegetativa, animata sensitiva, & ipsos quoque homines rationis usu destitutos.

II. Ad quamnam causarum referenda Fortuna?

Resp. Ad Efficientem. Ad Materiam enim & Formam referri nequit, quia causæ hæc essentiam ingrediuntur: at Fortunam nemo dixerit partem effectus fortuiti esse. Ad finem non spectat, quia nihil magis fortunæ repugnat, quam finis. Est enim præter intentionem agentis. Remanet ergò causa efficiens, eaque non per se, sed per
 acci-

accidens. Datur enim hîc influxus, sed non datur intentio.

AXIOMATA.

I. Vana gentilium fortuna est.

A gentilibus, & aliis, qui de istorum participant indole, fortuna sola, dicente Plinio, invocatur: una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur: volubilis, à plerisque verò & cœca est existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum faulrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit. Ast veri cum Philosophi, tum Christiani est, oculatissimæ DEI providentiæ suam subicere fortunam.

II. Ubi multum fortunæ, ibi parum intellectus.

Q

EX

Ex hujus enim infirmitate, qui omnem prævidere nequit eventum oritur fortuna. Quò plus ergò fortunæ adest. In Medico laudare fortunam, est Medici accusare ignorantiam.

III. Ubi multum intellectus, ibi parum fortunæ.

Fluit è priori. Hinc DEI gloriosi respectu, cui futura præsentia sunt, cujus intellectus sapientia ipsa est, omnis cadit fortuna. Nec Medicus peritus sperat fortunam, sed juxta artis procedit normam, fretus ratione & experientia.

CAPUT VIII.

De

CASU.

PRÆCEPTA.

I. Casus

I.

Casus est causa per accidens in actionibus rerum naturalium ob certum finem susceptis. Sic cum tegula de tecto decidit, & vulnus prætereunti infligit, casus est.

II. Dividitur in Bonum & Malum.

III. Bonus est, cum eventus, qui accidit bonus est. Sic bonus casus est, cum vitrum de mensa cadit, nec tamen frangitur.

IV. Malus est, cum eventus, qui accidit, malus est. Sic malus casus est, cum tegula de tecto decidens prætereuntem occidit,

 QVÆSTIONES.

I. *Quomodo casus differat à fortuna?*

Resp. Materialiter, non formaliter. Utraque harum causarum per accidens influit, atque sic effectum incidenter producit. In hoc verò datur discrepantia, quòd Fortuna specialiter applicetur agentibus ἐν περιπτώσει; casus agentibus ἀπὸ περιπτώσεως.

II. *An errent, qui casum attribuunt agentibus ἐν περιπτώσει.*

Resp. Distingvimus inter Casum Generaliter & Specialiter sumtum. Generaliter omnem sub se comprehendit causam per accidens, sed non Specialiter. Priori, non posteriori modo, rectè ajunt, casu rusticum invenisse thesaurum, casu saltatorem fregisse pedem, casu aliquem fuisse interfectum.

AXIO.

*AXIOMATA.***I. Casus scientiam non parit.**

Hæc enim è causis per se, non è causis per accidens speranda. Cùm tamen quæ per accidens fiunt, etiam fiant, licet per accidens: illa quoque, quæ per accidens agunt, etiam agunt, licet per accidens. Unde & quæ fiunt per accidens, & quæ agunt per accidens, etiam curantur à Phifico, licet per accidens.

II. Quæ casu fiunt, rarò fiunt.

Naturam enim plerumque à scopo aberrare, & alium effectum præter intentionem producere, vero non est simile. Non tamen hîc valet reciprocatio. Nam quæ rarò fiunt, non omnia casu fiunt. Rarò fiunt Eclipses, non tamen casu. Semel saltem factus est muudus, non tamen casu.

CAPUT VII.

De

MONSTRIS.

PRÆCEPTA.

I.

Monstrum est effectus naturalis cum insigni aliquâ deformitate, à causa deficiente, & aberrante productus. Sic monstra sunt, homo biceps, monoculus, &c.

II. Dividitur in id quod speciem mutat, & quod speciem servat.

III. Quod speciem mutat, est quod ab aliis effectis rectis & perfectis planè differt specie, ut mulus.

IV. Quod speciem servat, est quod ab aliis effectis rectis &

& Perfectis specie quidem non differt, sed tamen aliâ quâdam deformitate discrepat, ut bicipites, monoculi, &c.

V. Hocqve vel est circa sexum, vel circa constitutionem aliarum partium sexu illæso.

VI. Circa sexum est, ubi certæ speciei individuum vel est sexus dubii vel utriusqve, ut Hermaphroditi.

VII. Circa constitutionem aliarum partium est, vel ratione Numeri, vel ratione Magnitudinis vel ratione Unitatis, vel ratione Conformationis. Sic nascuntur monoculi, gigantes, hiantibus deformes labris, hirsuti, infantes

quorum oculi in media sunt fronte, nares in lateribus, aures in occipite, &c.

QVÆSTIONES.

I. *An Gigantes sint monstra?*

Aff. Omnia facta sunt in numero, pondere & mensura. Gigantes ergò cum communem hominum staturam excedant insigniter, ad monstrom omninò spectant censum.

II. *An Pygmæi sint Monstra?*

Resp. De Pygmæis quæ narrat Aristoteles, Plinius, & qui hos sequuntur, fabulosa sunt. Nullibi tam parva gens, bella quæ inferat gruibus. Nulli populi, quorum tota cohors pede non est altior uno. In Principum verò aulis nani & pumiliones habentur, ordinem hunc monstrom qui ornant maximè. Communem enim gentis humanæ staturam non attingunt.

III. *An Esavus fuerit Monstrum?*

Resp. Esavus prodiit ex utero rufus totus, similis togæ villosæ. Monstrum ergò fuit, ac deformitate non caruit. Hominis prærogativa insignis est, cutis polita, quâ cuncta superat bruta.

IV. *An nymphae & mulieres aquatica sint monstra?*

Neg. Spectra enim sunt, adeoq; ad Naturæ opera non spectant. Hinc ut inter Naturæ έργα non sunt; ita nec inter ejusdem παράεργα.

V. *An Kobaldi sint monstra?*

Neg. Etiam hi Diaboli larvæ sunt. Qui posuit in cælo bellum, in Paradiso fraudem, inter primos fratres odium, & in omni opere seminat zizania, is etiam obtulit Cobaldos.

*VI. Quanam monstrorum cause
sint?*

Resp. Omnium monstrorum causas proferre non audet, infinitis modis à recto aberrare posse qui perpendit. Posteriora monstra vel vitio Materiæ vel defectu Efficientis fiunt. Materia partim semen, partim sanguis menstruus est. Efficiens vel phantasia, vel spiritus, vel simile quid est.

AXIOMATA.

I. Monstra mundum pulchriorem non præstant.

Deforme quod est, non ornat, sed deformat. Monstrorum ergò deformitas non pulchritudinem, sed deformitatem infert mundo.

II. Monstrum effectus cum defectu est.

Duo enim continet, Materiale & Formale. Illud effectus naturalis est:

hoc

hoc deformitas effectui adhærens.
 Datur in monstris naturæ actio, licet
 vitiata. Format virtus, licet pravè for-
 met. Adest materia, licet pauca, di-
 vulsa, labeq; notata.

III. Monstrum defectum insi-
 gnem connotat.

Non enim qualiscunqve, sed enor-
 mis deformitas monstrum parit. Hinc
 qui nascitur cum maculis in facie, aut
 verruca & tuberibus in digitis, non
 statim monstrum est,

IV. Monstrum defectum natu-
 ræ infert.

Natura ubi sua præstitit, & casu
 quædam oritur deformitas, mon-
 strum non est. Hinc quibus mem-
 bra fasciis aut ligamentis pervertun-
 tur, aut quibus casu partes avelluntur,
 ad monstra referendi non sunt. Non
 enim adest ibi erratum naturæ. Geni-

tis defectus hi advenere, non foetui à primo ortu adfuerunt.

V. Natura monstrum intendit.

Si non intentione Primariâ; tamen Secundariâ. Primariâ non nisi perfectum intendit. Secundariâ imperfectum etiam admittit. Consequi cum nequit effectum sub esse perfecto, intendit eum sub esse imperfecto.

CAPUT X.

De

F A T O.

P R Æ C E P T A.

I.

Fatum est ordo in causis naturalibus effectus suos infallibiliter inferentibus, à DEO glorioso præcognitus, præordinatus & præstitutus.

II. Estque vel Theologicum, vel Astrologicum, vel Physicum, vel Stoicum.

III.

III. Theologicum est æternum
 DEI decretum de omnibus re-
 rum eventibus in præcipiendo,
 agendo, permittendo & deter-
 minando consistens. Sic fato
 fiunt divites & pauperes, pul-
 chri & deformes, moriones &
 sapientes.

IV. Astrologicum est astrorum
 in corpora inferiora influen-
 tium, variè ista regens ac diri-
 gens. Sic fato fiunt Eclipses, to-
 nitrua, fulgura, &c.

V. Physicum est, omnium causa-
 rum naturalium ordo, effectus
 necessarios inferens, DEO na-
 turæ auctori subjectus. Sic fa-
 to fiunt frigora, æstus, venti,
 pluvix, &c.

VI. Stoicum est, absoluta re-
 rum

rum necessitas, ex siderum influxu & aliarum causarum connexu orta, omnes actiones cum humanas, tum divinas respiciens. Sic fato hoc ipse DEUS quoque numen Parcarum carcere clausum fingitur.

QVÆSTIONES.

1. *Quid censendum de fato Astrologico?*

Resp. In se verissimum & certissimum est: Astrologorum respectu vel prudentissimum vel vanissimum. Limitationes enim suos habet, quos ultra cum tendit, noxiū & damnabile evadit. Sic fato hoc fiunt quidem tempora anni, dierum ac noctium vicissitudines, humorum augmenta & decrementa, eclipses, taliaque plura: At fatum hoc ad voluntatem nostram
 tra-

rrahere, est homini liberam arbitrium
 detrahere, DEUMq; gloriosum sive
 rectorum & creatorem culpae.

II. *Quid de fato Stoico scien-
 dum?*

Resp. Stultum hoc brutumq; est.
 DEUM enim facit non DEUM &
 hominem non hominem. Si tamen
 vera sunt, de Stoicis quæ memorant.
 Eos nempe omnia fatali adscripsisse
 necessitati, DEUMq; ipsum causarum
 naturalium subiecisse legibus. Quod
 sentire impium ac blasphemum est.

AXIOMATA.

I. Fato fiunt cuncta.

Non quidem Stoico, nec Astrolo-
 gico, nec Physico; sed Theologico ac
 Divino. Ab ipso quippe DEO sunt,
 quæcunque sunt. Hujus moderami-
 ne omnia conservantur, omnia diri-
 guntur

guntur. Omnia ab hoc, omnia in hoc, omnia ad hunc, omnia per hunc.

II. Fatuorum fatum fatuum.

Non falluntur semper, Astrologorum prædictionibus omnium futurorum eventum, quoad vitia, virtutes, honores, divitias, matrimonium, liberos, ac similia qui subjiciunt. Fatuis enim fatua fata. Sic permittente DEO fit, ut superstitio hominum Satanæ sentiat flagellum.



LIBER SECUNDUS.

De

Affectionibus Corporis
Naturalis.

CAPUT I.

De

AFFECTIONIBUS IN
GENERE.

PRÆCEPTA.

I.

Affectiones sunt accidentia,
quæ corpori naturali omni,
foli, semper & πῶτος insunt,
vel adsunt.

II. Dividuntur. 1. in Unitas &
Disjunctas. 2. in Intrinsecas &
Extrinsecas.

III. Unitæ sunt affectiones, quæ
simpliciter & solitariè de cor-
po-

pore naturali dicuntur, ut
Quantitas, Qualitas, Locus &
Tempus.

IV. Disjunctæ sunt, quæ conjunctim de corpore naturali dicuntur ut Motus & Quies.

V. Intrinsecæ sunt, quæ corpori naturali inhærent, ut Quantitas, Qualitas, Motus & Quies.

VI. Extrinsecæ sunt, quæ corpori naturali adhærent aut adsunt, ut Locus & Tempus.

QVÆSTIONES.

1. *An omne corpus naturale habeat motum?*

Resp. Motum habere & quiescere contradictoria sunt. Cum ergò terram quiescere & putemus nos, &
statu-

statuant Interpretes, frustrâ hi omni corpori naturali attribuunt motum. Pro motu verò mobilitatem si substituant, & Ens successivum in permanens mutant, & primum somniant actum, quem natura nunquam perficere conetur secundo.

II. An omne corpus naturale habeat quietem?

Resp. Quietem habere & moveri itidem contradictoria sunt. Hinc cum moveri sidera & nos statuamus, & interpretes asserant, malè hi omni corpori naturali attribuunt quietem. Quietem solis facere affectionem, nonnè insipiens est sapientia?

III. Quomodo Motus & Quies in ordine ad corpus naturale se habeant?

Resp. Ut affectio Disjuncta. Non enim omne corpus naturale motum
habet

habet, neque etiam omne quietem: sed quædam motum, quædam quietem. Moventur sidera, quiescit terra.

AXIOMATA.

I. Affectiones sunt Positivæ, non Privativæ.

Sunt enim accidentia quæ corporis naturalis essentiam Substantiarum influxu constitutam insequuntur. Hinc infinitum & vacuum affectiones facere Privativas, non Positivas, est atramentum inferre rubrum, vitrum ligneum, & stramen marmoreum.

II. Affectiones dicuntur de subiecto reciprocè.

Non enim accidentia communia, sed propria sunt. Naturam insequuntur, non verò modo quovis acquiruntur. Mensæ verò, scamno, aliisque artifi-

artificialibus comperere cum videntur, non jam porro res artis, sed res naturæ ponderanda. Utraque enim in rebus artificialibus adest. Prostat naturæ opus, prostat artis opus. Mensa est *Q*uanta, est *Q*ualis, non ut mensa, sed ut lignea, lapidea, aut alia: non *πρώτως*, sed *δευτέρως*.

CAPUT II.

De

QUANTITATE.

PRÆCEPTA.

I.

Quantitas est affectio intrinseca corporis naturalis, quæ illud est extensum, aptumque ad operationes sibi debitas perficiendum. Ut quantitas Cœli, Solis, Lunæ &c.

II. Terminos habet respectu
ma-

magnitudinis & parvitas, qui
constituunt in natura Maxi-
mum & Minimum.

III. Maximum est terminus
quantitatis, quem natura exce-
dere non solet. Ut maximus
in genere hominum, in gene-
re equorum, &c.

IV. Minimum est terminus
quantitatis, infra quem natu-
ra descendere non solet. Ut
minimum in genere hominum,
in genere equorum, &c.

V. Utrumque certâ constat fi-
gurâ, quæ est quantitati de-
terminatio, extrinsecus in su-
perficie corporis apparens, ut
figura hominis, equi, canis,
&c.

QVÆ

 QVÆSTIONES.

I. *An quantum dividi in infinitum?*

Resp. Physica hæc quæstio est: ergo & de Physicâ loquitur divisione, non de Mathematicâ. De eâ, quæ re & opere: non de illâ, quæ mente & conceptu fit. Cùm ergo quantum finitum sit, in infinitum dividi nequit. Non sanè transitus finiti in infinitum est. Abhorret ubique ab infinito natura.

II. *An quantitatis aliqua sit efficacia?*

Resp. Negativam svadet ratio, confirmat experientia. Ratio, quia: quantitas Materiam sequitur, non Formam. Ut ergo Materia non agit, ita nec quantitas. Experientia, quia: homo intelligit ob qualitatem, non quantitatem: canis latrat ob qualitatem, non quantitatem, cunctæq; a-
 ctiones

Etiones rerum sequuntur qualitates
non quantitates.

AXIOMATA.

**I. Datur in natura maximum &
minimum.**

Non enim in infinitum progredi-
tur natura. Progredieretur autem, si
quovis magno semper majus, & quo-
vis parvo semper minus daretur. Ma-
ximum nobis aquæ supracœlestes
sunt. Minimum atomi. Minimum
hoc tale est Negativè, non Positivè,
Licèt enim atomus non admittat mi-
nus: æquale tamen quin admittat, nil
obstat.

**II. Datur in specie viventium
maximum & minimum.**

Non ad punctum redacta specie-
rum quantitas est, sed latitudinem ha-
bet insignem. Differt magnitudine
homo ab homine, equus ab equo, ca-
nis à

SYNOPSIS PHYSICA. 73

nis à cane. Infinitas tamen non adest, sed & maximum & minimum terminum species habet quævis. Non excrevit musca ad quantitatem gallinæ, nec gallina ad quantitatem anseris, nec anser ad quantitatem equi. Nec decrevit equus ad quantitatem usque anseris, nec anser ad quantitatem muscæ.

III. Non datur penetratio dimensionum.

Moles enim quanti unius non pertransit molem alterius, sed aut corpus corpori cedit, aut resistit. Sic Petrus non pervadit parietem, mole enim suâ Petrus gaudet, suâ etiam paries, qui cedere recusat. Aërem tamen pertransit Petrus liberè, quia hic cedit, transitumque concedit.

CAPUT III.

De

QUALITATE.

D

PRÆ

PRÆCEPTA.

I.

Qualitas est affectio intrinseca corporis naturalis, quâ illud est potens ad agendum, vel patiendum, ut lux, calor, frigus, &c.

II. Dividitur vel respectu Sui, vel respectu Nostri.

III. Respectu sui i. alia est Activa, alia Passiva. 2. alia Realis seu Materialis, alia Intentionalis seu Spiritualis.

IV. Activa est, quâ corpus naturale est potens ad agendum. Ut caliditas ignis, frigiditas aquæ, &c.

V. Passiva est, quâ corpus naturale est potens ad patiendum. Ut Potentia ad concipiendum.

SYNOPSIS PHYSICA. 95.

dum flammam in sulphure, oleo, aut pice, &c.

VI. Realis est, quæ in subiecto manet, illudq; non nisi in adstans operari facit. Sic calor in igne, à cuius formâ provenit, remanet, & non nisi id, quod propè est, calefacit.

VII. Intentionalis est, quæ à subiecto spargitur, illudqve in distans etiam operari facit. Sic lumen à Sole egreditur, totumqve mundum inferiorem illuminat.

VIII. Respectu nostri qualitas alia est Manifesta, alia Occulta.

IX. Manifesta est, quæ in sensu incurrit, proprioqve nomine à

nobis designatur. Ut caliditas, frigiditas, &c.

X. Occulta est quæ sensus fugit, proprioque nomine designari nequit. Ut qualitas magnetis attrahentis ferrum, veneni necantis hominem &c.

QVÆSTIONES.

I. *Quomodo qualitates occultæ à manifestis differant?*

Resp. Latentiâ & potentiâ. Sensibus parent manifestæ, latent occultæ. Visus colorem, auditus sonum, gustus saporem, olfactus odorem, tactus qualitates tactiles observat. At vim magnetis trahentis ferrum nullus sensit sensus. Nomina etiam peculiarioria habent manifestæ; carent iis Occultæ Sic & potens est calor, potens frigus ac potentiores qualitates occultæ. Ad-
sunt

sunt hic vires novæ, adsunt in minimis maximæ, adsunt subitæ, adsunt occultæ.

II. An detur actio in distans?

Resp, Dari eam vel sola monstrat illuminatio, quâ Sol aërem, à quo distat maximè, illuminat. De eo verò his magna, an agere aliquid possit in distans non prius mutando & afficiendo medium? Quod ipsum quoque confirmare Experientiam videmus. Magnes ferrum trahit, licet medium de effectu isto non participet. Torpedo piscatoris manum per arundinem torpescit.

III. Unde Sympathia & Antipathia?

Resp. E qualitatibus partim manifestis, partim occultis. Calidum amat calidum, odit frigidum. Magnes amat ferrum, odit allium. Ignis amat oleum, horret aquam. Accipitrem

pitrem fugit columba, felem mus, apicula fumum, lepus canem. Non tam substantiæ, quàm qualitaris, nunc similis, nunc dissimilis, ratione.

AXIOMATA.

I. Dantur qualitates occultæ.

Omnia enim ad manifestas deducere velle qualitates magna est & impudentia & imprudentia. Magnes trahit ferrum, & ad mundi se convergit polos. Ob felis præsentiam multi incidunt in animi deliquium. Venena quàm multos, quàm subito, quàm misere necant! Res omninò delabuntur ad qualitates istas, quæ latent animos temperatos, illudunt curiosis.

II. Dantur qualitates spiritales.

Lumen & radii in aëre pleno hærent, & ipsum quoque vitrum subito permeant. Magnes ferrum etiam per interpositam tabellam attrahit.

Sidera

Sidera cuncta aërem, aquam, terram,
ceteraque his contenta, mirè afficiunt,
nec tamen corpora & qualitates mate-
riales dejiciunt.

III. Ad occultas non temerè cur-
rendum qualitates.

Hodiè occultarum qualitatum
nomine quævis ignorantia palliari,
quævis etiam superstitio defendi so-
let. Sed hic pessimus rei optimæ abu-
sus est. Cui ut eamus obviam, duæ
notandæ cautelæ. Prima, non absq;
qualitatum manifestarum exactiori
scrutinio ad occultas currendum. Al-
tera, non cuivis auctori mira jactitantia
credendum.

CAPUT IV.

De

MAGIA.

PRÆCEPTA.

Q 4

Ma.

I.

Magia est habitus rerum abditarum scientiâ, operumq; admirandorum arte constans.

II. Dividitur in Theoreticam & Practicam.

III. Theoretica est rerum abditarum & obscurarum scientia. Sic Anaxagoras in siccitate maximâ prædixit pluviam. Democritus olei prævidit caritatem, omneq; in toto tractu coëmit oleum. Æsculapius cujusque rei naturam exploravit ad unguem.

IV. Practica est cognitionis ad opera admiranda applicatio. Sic Machumetis feretrum ferreum in medio quievit aëre.

Bel-

Belgium infernales exhibuit
flammas, navesqve hostiles sub
ipsis exussit aquis. Archime-
des vitreum fecit coelum, in
quo sub pedibus spectare licu-
it sidera.

V. Utraque vel naturalis seu Li-
cita, vel Dæmoniaca seu Illi-
cita.

VI. Naturalis est habitus è libro
naturæ acquisitus. Sic for-
mantur lucernæ aliquot secu-
la ardentes, mantilia quæ igne
purgantur, lapis Philosopho-
rum; &c.

VII. Dæmoniaca est privatio
habitus, quem in mancipiis
suis supplere conatur Dæmon.
Sic mulierculæ semisomnes
& semedelitæ tonitrua, ven-

tos, pluvias, & prædicere & producere conantur.

VIII. Estq̄ve vel Divinatoria, vel Præstigiatoria, vel Effectoria.

IX. Divinatoria est rerum abditarum ope Dæmonis parta cognitio. Sic factæ fuere quondam innumeræ divinationes per idola, per hostias, flammæ, fumum, aves, pisces, aquas, sortes, somnia, pelves, specula, mortuos, annulos, cribra, &c.

X. Præstigiatoria est, admirandorum operum, sed apparentium, ope Dæmonis productio. Sic Magi hominibus cornua apponunt, rusticis currus & eqvos devorant,
ho-

hospitibus inepta fercula offerunt, &c.

XI. Effectoria est, admirandorum operum realium auxilio Diaboli productio. Si sagæ fruges perdunt, pecora lædunt, homines claudos, surdos, cæcos reddunt, &c.

QVÆSTIONES.

I. *An animæ Sagarum extra corpora abripiantur & ad nocturna comitia transferantur?*

Neg. Talis enim animarum abreptio & cum corporibus mortuis reunitio, veram mortuorum infert resurrectionem. At hæc & toti naturæ & omni creato spiritui impossibilis est.

II. *An Sage furcis aut scopis insidentes ad conventicula sua transportari queant?*

D 6

Resp.

Resp. Posse id præstare Satanam non negamus. Sed in cubiculis suis alro oppressæ somno sæpius remansere, & tamen de comestationibus, saltationibus, imò & congressibus cum Diabolis, splendide fuere nugatæ.

III. An Magi seipsos & alios convertere possint in feles aut lupos?

Neg. Lusus Satanæ est, qui spectris homines decipit, *ἐκτασθη* Magos corripit, & phantasmata varia suggerit. Nec naturæ nec Satanæ hæc animalium productio & mutatio possibilis est.

AXIOMATA.

I. Datur Magia naturalis.

Vires enim naturæ stupendæ planè & inæstimabiles sunt. Quas qui altius habent perspectas, & futura prædicere & miranda producere queunt facile.

II. Da-

II. Damnantur Spiritus Familia- res.

Hi enim hominem à cultu & ordinatione DEI abducunt, & ad securitatem, tandemq; desperationem adducunt, sæpeq; cum gemitu & fremitu in gehennam deducunt.

III. Damnantur verba, caracte- res, ceremoniæ, imagines, si- gilla.

Nulla enim hic naturæ vis subest, quippè quæ per formas, & qualitates, non per quantitates ac figuras efficax est. Naturæ scrutator *τὸ χεῖρ ἴσθι* ne sit, sed cuncta probeat, bonum retineat, mediâq; in primis confideat.

IV. Pactum cum Satanâ non sem- per explicitum est.

Non paucos, Satanæ implicari cer-
nimus laqueis, quod nullum se fœdus
cum isto inire putent, licet verbis

D 7

& ce-

& ceremoniis, aliisque modis corpora reddant inconspicua, aut contra ictuum injurias immunia. Sed latet anguis in herba. Subest omnino fœdus, si non Explicitum: tamen Implicitum. Inventor primus pactum habuit Explicitum, qui sequuntur hunc, media à Satanà præscripta adhibendo, Implicitum.

CAPUT V.

De

LOCO.

PRÆCEPTA.

I.

Locus est affectio extrinseca corporis naturalis, quâ illud occupat suum spacium, longum, latum & profundum. Sic Petrus cum in loco est, occupat spacium, longitudine, lati-

latitudine & profunditate constans.

II. Dividitur in Naturalem & Violentum, uterque autem in Communem & Proprium.

III. Naturalis est, ad quem locatum naturam suam fertur, in eoque conservatur. Sic aqua locus naturalis est piscium, aer avium & hominum.

IV. Violentus est, ad quem locatum vi detruditur, & in quo conservari nequit. Sic aqua hominis locus violentus est; aer piscium.

V. Communis est, qui multa corpora simul continet. Sic aer communis locus hominum est, aqua piscium.

VI. Proprius est, qui saltem unicum

nicum corpus continet. Sic
 spacium quod Petrus occupat,
 proprius Petri locus est.

QVÆSTIONES.

I. *Quanam loci conditiones sint?*

Resp. Prima est, æqualitas cum lo-
 cato. Si enim locato major esset, non
 solum locatum caperet: Sin minor,
 non totum locatum reciperet. Ut er-
 gò in locato, tres sunt dimensiones, ita
 etiam in loco eadem sint, necessum
 est. Secunda est immobilitas. Si enim
 locus moveretur, locatum locum non
 mutaret, neque unum alteri in loco
 succederet. Tertia est, permanentia
 etiam sublata. Pereunt quippè loca-
 ta, salvo loco.

II. *An superficies locus sit?*

Neg. Conditiones enim loci su-
 perficiei non competunt. Superficies
 non

non est æqualis locato. Hoc enim habet longitudinem, latitudinem & profunditatem: Illa longitudinem & latitudinem tantum. Superficies nec est immobilis. Moto aëre, movetur aëris superficies, circa turrin, arbores, homines. Motâ aquâ movetur aquæ superficies, circa arborem immotam. Superficies etiam aboletur & tollitur, re abolitâ, confluit enim aër, confluit aqua.

III. An loci ratio consistat in spatio?

Aff. Omnes enim loci conditiones huic competunt. Spacium est æquale locato, quia trinis constat dimensionibus. Spacium est immobile, quia sive agitetur aër, sive non, spacium semper manet. Spacium non interit, nec aboletur, quamvis res, quæ in eo sunt, aboleantur.

AXIO.



 AXIOMATA.

I. Datur spatium.

Corpus enim propter molem, quam habet, eo indiget. Corpus in corpore non est, sit ergo in spatio necessum est. Motus etiam sine spatio fieri nequit. Cùm lapis descendit, per spatium descendit, non per aërem, quia corpus per corpus non meat, nisi fortè quis velit unum corpus penetrare aliud, & multa corpora simul esse.

II. Spatium omne repletum est.

Natura enim amat unionem. Hinc ne corporum detur divulsio & separatio, mira sæpè tentat. E dolio vino pleno infernè perforato, nihil effluit, nisi exiguum superius fiat foramen. Per fistulam cerevisia è dolio attrahitur. corpusque grave ascendit. Follium orificio obstructo latera à se invicem diduci nequeunt. Pileum æqualiter terræ commissum attollere non possumus.

CAP

CAPUT VI.

De

TEMPORE.

P R Æ C E P T A.

I.

Tempus est affectio extrinseca corporis naturalis, quâ duratio illius in se indistincta distinguitur juxta motum corporum coelestium. Sic duratio Petri, quæ continuatus vitæ tractus est juxta motum Solis & Lunæ in annos, menses, dies & horas dispescitur.

II. Dividitur in Præteritum, Præsens & Futurum.

III. Præteritum est tempus, quod fuit. Ut dies hesternus, annus præteritus, &c.

IV. Præsens est tempus, quod est.

est. Ut hic dies, hæc hora, &c.
 V. Futurum est tempus, quod e-
 rit. Ut dies crastinus, annus se-
 quens &c.

QVÆSTIONES.

I. *An tempus præsens verum tem-
 pus sit?*

Aff. In tempore omnem fieri mo-
 tum, omnes ajunt. Si hoc ergò vel
 in Præterito, vel in præsentì, vel in
 Futuro. Non in præterito, quia hoc
 fuit. Non in futuro, quia hoc erit. Er-
 gò in præsentì. Ergò præsens tempus
 verum tempus est.

II. *Quid vulgò de tempore sen-
 tiant?*

Resp. Definiunt tempus, quòd sit
 numerus motus, secundum prius &
 posterius. At mera sonant verba, tem-
 pore ipso longè obscuriora. Tempus
 etiam

etiam malè trahunt ad motum, cùm non motus sed corporis naturalis affectiones jam quærantur & tradantur.

AXIOMATA.

I. Omnia tempus habent.

Tempore certo corpora naturalia generantur, conservantur, destruantur. Tempore certo operantur & otiantur, virescunt, florescunt, marcescunt, Quædam in Majo, quædam in Junio, quædam in Julio, quædam in aliis florent mensibus. Distribuit munera sua natura, & nunc cerasa, nunc poma, nunc pyra, nunc uvas sedulo offert colono.

II. Sine tempore motus non fit.

Successio enim in motu adest. Ubi hæc, ibi mora & tractus temporis. Ergò quicquid movetur, in tempore movetur. In tempore, non quidem præterito, non futuro, sed præsentis.

III. In

III. In tempore omne corpus naturale est.

Esse enim corporis naturalis habuit initium, habet durationem, habebit finem. Duratio illa tempore mensuratur & in annos; menses, dies & horas dispescitur.

CAPUT VII.

De

MOTU ET QUIETE.

PRÆCEPTA.

I.

Motus est affectio disjuncta corporis naturalis, quâ illud alium atque alium acquirit locum. Sic movetur Petrus, cum de loco in locum se confert.

II. Dividitur vel ratione moventis vel ratione centri,

III. Ra.

III. Ratione Moventis motus vel est Naturalis vel Violentus.

IV. Naturalis est qui à causa interna oritur. Sic moventur Elementa, cum ad loca sua naturalia tendunt; equi pariter, canes, homines, aliaque animalia cum sponte sua ad loca certa se conferunt.

V. Violentus est, qui à causa externa oritur. Sic ascendunt sagittæ, globuli, lapides, & alia.

VI. Ratione centri motus alius est Simplex, alius Mixtus seu Vagus.

VII. Simplex est qui per lineam simplicem perficitur. Sic lapis in altum projectus, non

per

per ambages, sed rectà ad terram tendit.

VIII. Estq̄ve vel Rectus vel Circularis.

IX. Rectus est, qui fit per lineam rectam ductam à centro mundi. Sic lapis per rectam lineam ad terram redit.

X. Circularis est, qui fit per circum, & distantiam suam à centro mundi non mutat. Sic circulariter moventur stellæ, ita ut progredientes quiescere, & quiescentes progredi videntur.

XI. Mixtus seu vagus est, qui ex recto & circulari simul constat, lineasq̄ve simplices non observat. Sic moventur
ven-

venti, nubes, canes, homines,
&c.

XII. Quies est affectio disjuncta corporis naturalis, quâ illud locum non mutat, sed fixum ac firmum perstat. Sic terra & cœlum quiescunt.

QVÆSTIONES.

I. *Quomodo motum definiant vulgo?*

Resp. Motus, inquit, est *κίνησις* seu actus ejus, quod in potentiâ est, quatenus in potentiâ est. Quæ Definitio partim obscuritate, partim falsitate laborat. Obscuritate, cum singula verba singulas postulent explanationes. Falsitate, cum talis actus, talisqve potentia in motu non dentur. Non sanè aliquid formæ adest, & aliquid abest.

II. *Cur unice motum respiciamus localem?*

E

Resp.

Reip. Quia solus hic cum quiete totam corporis naturalis exhaust latitudinem. Augmentatio verò, Diminutio, Alteratio, Generatio & Corruptio, juxta commune suffragium, ad paucissimas corporis naturalis species spectant. De his ergò non magis hic sollicitus sit Physicus, quàm de Nutritione, Visu, Auditu, Risu, &c.

III. An corpora naturalia moveantur à seipsis?

Distingvendum inter motum naturalem & violentum. Motu violento, quicquid movetur, ab alio movetur. Motu verò naturali mota corpora, quidnò moveantur à seipsis. Motus hujus causa interna est, non externa. Ab alio ergò non fit, sed corpus seipsum movet beneficio formæ.

AXIOMATA.

I. Motus naturalis in principio
tar-

SYNOPSIS PHYSICA. 99

tardior, in fine velocior
est.

Non tam ob movens, quam ob me-
dium. Hoc enim in principio resistit,
in fine obedit. Valet autem non nisi
in motu recto: in circulari siderum
raptu, nec datur tarditas, nec veloci-
tas, sed æqualitas. Medium enim ibi
semper uniforme.

II. Motus violentus in principio
velocior, in fine tardior est.

Vires enim ibi sunt validiores, hinc
debiliores. Medium igitur ibi resiste-
re potest minus, hic magis.

III. Motus violentus non est di-
turnus,

Vis enim externa adest, quæ subje-
ctum contra naturam suam agitat. A-
gitationem hanc diu istud ferre ne-
quit, cum vires frangantur. Juxta id,
omne violentum naturæ inimicum

PARS SPECIALIS.

De
CORPORIS NATURALIS SPECIEBUS

LIBER TERTIUS

De
Corporibus Coelestibus.

CAPUT I.

De
SPECIEBUS IN GENERE,
PRÆCEPTA.

I.

Corpus naturale aut est Simplex aut Compositum.

II. Simplex est, quod materiam habet simplicem. Ut Coelum, aër, &c.

III. Est-

III. Estque vel absolute, vel respective tale.

IV. Absolute, quod materiam pure simplicem habet. Ut coelum & quatuor elementa, cum aëris supra coelestibus.

V. Respective, quod materiam certo modo simplicem habet, ut stellæ.

V. Compositum, quod materiam habet compositam. Ut homo, equus, arbor, lapis, &c.

QUESTIONES.

I. *An mundi Theoria huc spectet?*

Neg. Species enim corporis naturalis jam nunc pensitandæ. At mundus species non est, sed specierum omnium collectio.

II. *An corpus simplex ex simplici iudicandum motu?*

E 3

Resp.

Resp. Ajunt id communiter, unde corpora simplicia sic describunt: Simplicia sunt, in quibus est principium motus localis simplicis. Verum sic lapis & plumbum etiam corpora simplicia erant. Si enim projiciantur in altum, per lineam simplicem descendunt.

AXIOMATA.

I. Specierum numerus innumerus est.

Non quidem in se, sed in ordine ad nos. In coelo, quot quæso moventur stellæ? In aere, quot volitant aves? In aquis, quot natant pisces? In terris, quot ambulant & repunt animantes? In montibus, vallibus & convallibus, quot virent florentque herbae & arbores? Nolle numerum homini datum non est. Et operam Domini paucissimi novimus, plurima ea quæ majora adhuc sunt abscondita.

II. Spe-

ii. Specierum nulla interiit.

Mundus enim ex hisce conflatus est. Unam qui tollit, mundi tollit & unionem & perfectionem. Unus & perfectus Deus, unum & perfectum fecit mundum, quam cum unitatem tum perfectionem servavit, quam diu esse servavit.

iii. Specierum nulla de novo ori-
tur.

Ortae sunt illae semel in prima mundi creatione. Creatoris solius fuit novas condere species. Complevit autem ille opus suum & consummavit, & quievit die septimo. Speciem mentitur, quicquid hic creatura molitur.

iv. Species nulla imperfecta est.

Habet enim quaevis sibi debita. Imperfectum, mutilum ac manoum est, quod caret eo, cuius eget, aut omnino, aut cum habere debet. At nulla species egens est earum partium, quae sunt.

sunt alterius speciei. Omne enim quod est sibi & bonum, & totum, & perfectum, monente Scaligero.

CAPUT II.

De

AQVIS SUPRA-

COELESTIBUS.

P R A E C E P T A.

Aqua supracœlestis est corpus naturale simplex, coelum undique ambiens, ex prima aquarum divisione pronatum.

Q U A E S T I O N E S:

I. *An dentur aquae supracœlestes?*

Resp. Disertè aquas illas Sacer Scripturæ dicitur liber. Fecit enim DEUS expansum, illudque in medio aquarum posuit. Divisa ergò aqua fuit, & pars una supra coelum, altera sub caelo locata.

II. An

II. An aquæ supracœlestes conjungantur
cum aere & igne supracœlesti, & consti-
tuant thronum DEI, habitaculum Ange-
lorum, Sanctorum, piorumq; ho-
minum.

Resp. Supracœlestem aërem &
supracœlestem ignem nec in Naturæ,
nec in Scripturæ deprehendimus li-
bris. Neq; de throno DEI ex igne, aë-
re & aquâ formato, ulla ullibi extat
litera. Hominum ergo hæc sunt in-
venta, sunt commenta.

AXIOMATA.

I. Aquæ supracœlestes non sunt
nubes,

In duas enim partes dividere a-
quam, non est nubem facere: sed to-
tum integrale in partes ejusdem ratio-
nis & speciei dividere. Neque etiam
perpetuæ sunt nubes, neque cum sunt,
aqua sunt. Qvis discrimen inter aquam
& nubem nescit?

II. Aquæ supracœlestes cum aquis subcœlestibus ejusdem sunt naturæ.

Dividere enim aquas, non est eas destruere, sed in loca saltem diversa distribuere. Sicut ergò integra mansit natura in aquis sub firmamento, ita & in aquis super firmamentum. Non secus ac aër in terræ cavernis, naturam suam servat, quamvis loco distinctus à nostrate.

III. Aquæ supracœlestes non sunt in loco violento.

DEUS enim in prima creatione res non contra naturam, sed juxta eandem locavit. Ille rerum naturalis locus est, quem à DEO ordinis omnis auctore accepere.

CAPUT III.

De

COELO

PRÆ.

SYNOPSIS I HYSI CA.

PRÆCEPTUM.

Cœlum est corpus naturale simplex, amplissimum ac subtilissimum, commune astrorum currentium receptaculum.

QVÆSTIONES.

I. *An cœlum materiam habeat, & quanam illa?*

Resp. Facere corpus sine materiâ est facere panem sine farinâ, & somnium sine somno. Habet ergo cœlum materiam. Et unde aliàs cœli extensio ac quantitas? Est autem materia illa Simplex, non Composita. Nuda enim puraque est, omnisque expers concretionis.

II. *Quanam potiores cœli sunt Affectiones?*

Resp I. Quantitas egregia. Vastissima enim corpora continet, & totam

Elementorum compagem ambit 2. Subtilitas insignis. Stellis enim currentibus cedit. 3. Perspicuitas. Lumi-
 ni enim ac speciebus visibilibus tra-
 situm permittit. 4. Invisibilitas. Vi-
 sum enim non terminat. sed trans-
 mittit. 5. Immobilitas. Stellæ enim
 in hoc moventur ab interno, non ex-
 terno principio.

AXIOMATA.

I. Cœlum æternum non est.

Repugnat enim naturale esse corpus
 & æternitatem habere. Neque defi-
 nitum cœli principium latet Christi-
 anum, de quo versus:

*Prima dies cœlum & terram, lucemq;
 creavit:*

*Altera distendit spaciū, discrimen
 aquarum:*

*Tertia secernens undas, dat gramina
 terris:*

Quarta creat Solem & Lunam, cæle-
stiaq; astra.

Quinta dedit pisces . eadem genus omne
volantium :

Sexta tulit pecudes, hominem quoq; ,
quem Deus ipse.

Condidit , inde operis requies lux se-
ptima fulsit.

II. Cœlum solidum non est.

Fluidum potius, quàm solidum ac
durum est. Id enim stellarum liberè
discurrentium requirebat natura. Ut
cedere istis, & ne vacuum relinquere-
tur, iterum conflueret.

III. Cœlum in loco est.

Corpus enim naturale est. Ergò lo-
cum habet. Immensa nempe cœli
quantitas immensum occupat spaciũ.

CAPUT V.

De

STELLIS

E 7

PRÆ-

PRÆCEPTUM.

STellæ sunt corpora naturalia simplicia, lucida, globosa, semper mobilia, ex luce primogenia ad salutem inferiorum producta.

QVÆSTIONES.

Quanam stellarum sit materia?

Resp. Lux primæva, primo die à DEO facta. Hæc enim quia terminus creationis fuit, substantia fuit. Quia bona fuit, esse non desit. Quia imperfecta fuit, perfectionem accepit.

M. Quanam stellarum affectiones sint?

Resp. 1. Quantitas, eaqve non exigua, quia licet à nobis summè distet, tamè videri queunt. 2. Figura, eaq; regione, & in quocunqve cœli spacio locatæ fuerint, rotundæ apparent. 3.

LUX

SYNOPSIS PHYSICA. VII

Lux, cujus beneficio totum illuminant mundum, nemoque Solem videt sine Sole. 4. Visibilitas, quia lucidum quod est speciei propriam in visum incurrit. 5. Motus quo Sol tanquam sponsus e thalamo suo prodit, ceteraque stellae omnes cursus suos expediunt vel ocisime, liberrime. 6. Influxus, quia conditae sunt in signa, tempora, dies & annos.

III. An Sol tripudiet festo Pascha-
ros?

Resp. Rustica hoc probat Experientia, sed non judiciofa. Nectantum Paschatis festo, tripudium hoc accidit: nec semper tunc fit; nec quando fit, reale est. Vapores tempore verno & autumnali liberiùs in aëre grassantes, hominum oculos sic ludunt, falluntque.

IV. An Sol major sit tempore matutino,
quam meridiano?

Resp.

Resp. Apparet interdum, sed non est major. Causa aëris diversitas. Quò enim medium ob vapores est crassius, eò & majores & propiores videntur stellæ: quò subtilius & purius, eò minores & remotiores.

AXIOMATA.

I. *Primum mobile non datur.*

Stellarum enim motus naturalis est. Ergò à causa fit internâ, non externâ. Ergò seipsas movent, non verò à mobili primo motu plus quàm Tyrannico, rapiuntur. Omnes stellæ ab ortu tendunt in occasum ob proprias, quibus gaudent, formas.

II. *Orbes cælestes non datur.*

Stellarum enim motus naturalis omnes istos tollit circulos & circellos. Ascendunt etiam Planetæ & descendunt, ita ut Mars, non rarò infra Solem se dimittat, & Venus supra Solem assurgat. Si jam starent illi orbis, sta-

ret

ret etiam interfectio & penetratio,
quam horret natura.

III. Intelligentia Stellas non movent.

Naturalis enim ille motus exter-
nam non postulat causam. Nec teme-
rè & audacter de Angelorum pro-
nunciandum officiis.

CAPUT V.

DE LUCE.

PRÆCEPTA.

I.

Lux est qualitas corporis luci-
di, quâ ipsum lucidum est, &
alia illuminat.

II. A Luce venit Radius, à Luce &
Radio Lumen.

III. Radius est qualitas à luce exi-
liens in rectum & acutum.

IV. Lumen est qualitas à luce & à
radio diffusa & in latum effusa.

V. Lu-

V. Lumini opponuntur Umbra & Tenebrae.

VI. Umbra est privatio luminis ob interpositionem opaci facta, in parte luci opposita.

VII. Tenebrae sunt privatio luminis ab omnimoda corporis lucidi negatione orta.

QUESTIONES.

I. *An lux & lumen differant?*

Aff. Lux enim qualitas realis seu materialis est, lumen intentionalis ac spiritualis: Lux Luminis efficiens est, lumen lucis effectus. Hinc lux in ipso Sole & astris haeret, lumen in aërem transit. Rectè dico solem esse lucidum & aërem illuminatum. Malè, Solem esse illuminatum & aërem lucidum.

II. *An lumen & radii differant?*

Aff. Radius à luce est: lumen & à luce & à radio. Radius in rectum & a-

SYNOPSIS PHYSICA. 313

cutum tendit: lumen in latum, neq;
etiam ubicunqve lumen est, ibi radius
est.

III. An umbra videatur?

Aff. Cum enim lumine terminetur,
visum ferit. Hinc pro alio atqve alio
Solis, aut etiam accensæ candelæ posi-
tu, aliam atqve aliam spectamus um-
bram.

IV. An tenebræ videantur?

Neg. Ut silentium audimus, sic
tenebras videmus. Nempe, ut nihil
audientes, silentium intelligimus, sic
nihil videntes tenebras percipimus,
quas etiam oculis clausis habemus.

AXIOMATA.

I. Lux accidens est.

Inhæret enim corpori lucido. Et
si substantia, an corporea, an incorpo-
rea? Non corporea, quia corpus in
corpore non est. Non incorporea,
quia videtur.

II. Lumen accidens est.

In

Inhæret enim corpori illumina-
to. Ab aëre quippe recipitur, quia cor-
pus est. Ab accidente etiam produci-
tur. Lux enim gignit lumen.

III. Radius accidens est. Nam & hic inhæret, non secus ac lu-
men: In aëre enim deprehenditur.
Lux enim intensior si fuerit, radium
gignit.

LIBER QUARTUS.

De
ELEMENTIS.

CAPUT I.

De
ELEMENTIS IN GENERE.

PRÆCEPTA.

Elementa sunt corpora natu-
ralia simplicia, sub cœlo con-
ten-

tenta, ad universi integritatem,
mistorumque constitutionem
à creatore facta.

II. Sunt quatuor: Aër, Aqua, Ter-
ra & Ignis.

QVÆSTIONES.

I. An Elementa alterentur?

Neg. Alteratio enim hæc & pro-
priorum & accidentium evertit natu-
ram. Propria nec separantur, nec intē-
duntur, nec remittuntur. Qualitates
ergo elementares non aderunt modo,
modo aberunt; modò gradus saltem
aliquos, habebunt. Accidentia etiam
de subjecto in subjectum non mi-
grant, Sed subjecta si communican-
tur, una etiam accidentia communi-
cantur.

II. An Elementa corrumpantur?

Neg. Corruptio affectio corporum
compositorum & mixtorum est, non
simpli-

simplicium. Ibi enim foedere tandem rupto separantur corpora diversa, è quibus conflata erant ante. Nihil tale in Elementis ac simplicibus metuentium corporibus. Aër è diversis rebus conflatus non est, unde & in eas resolvi nequit. Idem iudicium cæteris.

III. *An Elementa transmutentur?*

Neg. Ajunt ex aqua fieri aërem, ex aëre ignem, & cuncta Elementa inter se tandem transmutari. Verùm nec probatum experimentum nec solidam rationem proferunt. In aëre quod fit, non statim ex aëre fit. Elementa ut non corrumpuntur, ita nec transmutantur. Hoc enim illud præsupponit. Et si tam facilis aëris in ignem esset conversio, in incendiis ingens sæpe aëris periret tractus, ipseq; ignis inter omnia Elementa actuosissimus, omnem naturam everteret statim.

AXIOMATA.

I. Elementa in mundo non sunt
pura.

Impurum aërem esse restantur ne-
bulæ, venti, nubes, aliq; innumera.
Aquam puritate carere, varii colores,
odores, sapes, viresq; loquuntur.
Terra mater omnium est, cunctaq;ve
ex ea egrediuntur, cuncta in eam re-
grediuntur, unde impuritas summa. I-
gnis impuritate colores, odores, ac
vires varie arguunt.

II. Elementa non sunt corpore
mista.

Impurum corpus non protinus
mistum corpus est. In misto enim
planè diversa, nova, & peculiare pro-
nascitur species. Sed terra, licet im-
pura sit, terra tamen manet: & aqua,
licet impurissima sit, nomen tamen &
essentiam aquæ retinet.

CAP.

CAPUT II.

De

AERE.

PRÆCEPTA.

Aer est Elementum subtile & leve, infra coelum ac supra aquam terramq; existens.

II. Dividitur in tres regiones, Supremam, Mediam & Infimam.

III. Suprema est, quæ à summmitatibus altissimorum montium incipit, & ad coelum usq; excurret.

IV. Media est, quæ juxta cacumina altissimorum montium incipit, & eo usque deorsum se protendit, quousque sursum radiorum solarium fractio se extendit.

V. In

V. Infirma est, quæ à superficie terræ & aquæ eo usque se extendit, quousque sursum radiorum solarium fractio se protendit.

QVÆSTIONES.

I. *An aër sit Elementum humidissimum & calidum?*

Resp. Communiter id ajunt: sed præter rem. Aër enim non raro omni & humiditate & caliditate caret. Hyberno tempore cum gelu rigēt omnia, aërem quis dicat calidum? Et tempore æstivo, ubi vel integra exsiccantur flumina, quis aërem vocaret humidissimum? Indifferenter se habet aër & ad frigiditatem, & ad caliditatem, & ad humiditatem, & ad siccitatem.

II. *Qui fiat, quòd aër nunc calidus, nunc humidus, nunc frigidus, nunc siccus, nunc venenatus, nunc aliter affectus sit?*

E

Resp.

Resp. Fit hoc quia atomos nunc calidas, nunc humidas, nunc frigidas, nunc siccas, nunc aliis qualitatibus præditas, in se continet. Non enim putandum, aërem proprium suum, quod summa sit humiditas, deposuisse & loco istius siccitatem assumfisse; aut cum caliditatem assumfisse; aut eum caliditatem nonnunquam ejicere & frigiditatem recipere. Sublatis propriis, tolluntur res ipsæ. Nec cogitandum, proprias aliarum rerum affectiones aëri extra proprium in esse subjectum. Positis enim affectionibus seu propriis, ponendæ res ipsæ.

AXIOMATA.

I. Aër subtilis est.

Facilè enim cedit, facilè in obvia quævis se insinuat. In hoc nubes eunt, in hoc venti grassantur, in hoc aves ludunt, in hoc homines & quadrupedes

des vagantur. Hic supplementum vacui est, januas, patietes, muros & opera quævis permeans.

II. Aer levis est.

Terris enim & undis inclusus inquietus est, patriasq; affectat sedes. Sic vesica aëris plena sub aqua hærens, ad aërem exilit. Vas oris angusti aquæ intrusum, renititur. Vivum animal aquis immersum, bullas parit, aëre ex undis egrediente.

III. Aer sonum parit.

Frangitur enim & premitur inter duo constitutus corpora, imò & inter diversas unius corporis partes. Hinc ventorum murmura, hinc blandi aquarum susurri. Hinc omnis lingvarum exercitus vocalis est, cun- & æque tubæ taratantare sonant & resonant.

CAPUT III.

De

AQVA.

PRÆCEPTA.

I.

AQVA est elementum crassum & grave, frigidissimum, ac humidissimum, unum cum terra globum constituens.

II. Estque mare, fluvius, torrens, rivus, amnis, fons, lacus, palus, &c.

QVÆSTIONES.

I. *Quomodo aqua igni exposita calefiat?*

Resp. Substantiæ ignis receptione. Ita ut in calidâ aquâ duo sint corpora, ignis & aqua. Utrumque tangit, aquam calidam qui tangit. Hinc utriusque etiam sentit vires. Manum humecta aqua, adurit ignis. Quod calefacit.

facit & adurit, non aqua est, sed ignis. Proprium ignis calefacere, aquæ frige-
 facere. Quod humectat non ignis
 est, sed aqua. Proprium ignis est exsic-
 care, aquæ humectare.

II. *Quomodo aqua calefacta iterum
 frigescat?*

Resp. Substantiæ ignis expulsio-
 ne. Aqua enim hostem suum admittit
 invita. Hunc ergo exturbat, ut con-
 tra resolutionem sese defendat. In vio-
 lento statu est aqua calefacta Ergo vim
 illatum vi repellere tentat. Omne
 enim violentum naturæ inimicum.

III. *Unde maris salsedo?*

Resp, Efficiens causa DEUS autor
 omnium est. Hic in prima creatio-
 ne mare fecit salsum, & propter pisces,
 & propter navigationes. Pisces enim
 marini delectantur salsedine, unde sal-
 sum amant domicilium. Navigatio-
 nes

126 SYNOPSIS PHYSICA.

ies crassiores postulant aquam, ne ponderi ferendo sit impar. Semper verò falsedo illa immediatè à salis, fuit substantia, in marinâ aquâ contenta.

AXIOMATA.

I. Aqua crassa est.

Id enim & natationis & navigationis requirebat natura. Hic sunt reptilia, quorum non est numerus & bestiaë pusillæ cum magnis, Hic naves ambulant, & balænæ, quæ Tu DOMINE formasti ad ludendum in eo.

II. Aqua gravis est.

In aëre enim effusa deorsum tendit ad centrum. Gravium verò locus infimus est. Vase etiam contenta gravitat, portatoremque fatigat.

III. Aqua aquâ gravior est.

Salsæ

Salsa gravior dulci. Ovum quod mergitur in dulci, salis innatat. Et dulcis aqua salis affusa, olei instar supernatat. Lactis invenias, quibus immissi canes & homines non demerguntur, sed supernatant. Causa est, quia aqua una impurior altera.

CAPUT IV.

De

TERRA.

PRÆCEPTA.

I.

Terra est elementum frigidum & siccum, firmissimum, crassissimum & gravissimum, infinitis corporibus refertum, in medio mundi pendulum.

II. Estque Continens, Insula, Peninsula, Isthmus, Promontorium, Mons, Collis, Vallis

Convallis, Campus, Sylva, Lit-
tas, Ora, Portus, &c.

QVÆSTIONES.

I. *An terra frigidior aquâ sit?*

Neg. Sensus enim majorem in a-
qua sentiunt frigiditatem, quam in
terra. In quo sensuum judicio standum
& acquiescendum. Ac cum magis et-
iam aqua frigefaciat, cur non & magis
frigida audiat? Ex operationibus sanè
rerum potentias & essentias investiga-
mus.

II. *An terra quiescat & sidera move-
antur?*

Aff. Sensuum enim judicio tamdiu
standum, donec rationibus firmis id
fuerit exploratum. Non hîc per similia
concludendum, non à posse ad esse
procedendum, non motus naturalis
cum violento confundendus. Et quo-
modo globus aut lapis rectâ projectus
cen-

centrum suum repeteret, si circulariter moveretur terra? Hæc enim interea sese subduceret. Si verò & lapidi circulaarem adscribunt motum partim simplicia cum mistis confundunt, partim coactum responsum proferunt. Nonnè ad minimum violentus ille lapidis ascensus circulaarem motum retardare? Non enim tunc sui juris lapis ille projectus est, ut naturalem illum motum, qui circularis sit, absq; morâ capeffat.

AXIOMATA.

I. Terra crassissima est.

Fundamentum enim hominum, arborum, plantarum, metallorum, lapidum, & aquarum est. Ipseq; terræ atomi, cum aliorum Elementorum atomis collatæ semper crassiores sunt.

II. Terra gravissima est.

Nam & hoc fundamenti exigebat
 F s ratio

ratio. Unde in aquam immissa mergitur. Aquæ verò supernatant, nec unquam naturali hoc destituuntur futuro. Maria licet profundissima sint, fundo tamen non carent.

III. Terra plena corporum infinitorum est.

Ex hac enim cuncta egrediuntur, & in hanc cuncta regrediuntur. In extremis montium recessibus herbæ nascuntur calidissimæ. Metalla etiam purissima & limpidissima terram agnoscant matrem.

CAPUT V.

De

IGNE.

PRÆCEPTA.

I.

Ignis est elementum subtilissimum, levissimum, calidissimum

mum & siccissimum, in terra supra terram existens.

II. Dividitur in Supraterraneum & Subterraneum.

III. Supraterraneus est, qui supra terram conspicitur, usuiq; humano inservit:

IV. Subterraneus est, qui intra terræ cavernas hæret & aquas terrasq; vicinas calefacit.

QVÆSTIONES.

I. *An ignis inter Elementa ætuo-*
simus sit?

Aff. Aqua potens est, sed potentior longè ignis. Ob subtilitatem enim suam in obvia quævis, licet arduissimis vinculis juncta, tentat ingressum, eaq; & intus & extra calefacit. Ferrum humectat aqua, sed non nisi extrinsecus. At ignis interiora petit, idq; & intus & extra calore perfundit.

F 6

Quid

 II. *Quid sit ignis suffocati & extin-*
ctio?

Resp. Non est ignis corruptio, aut forsan annihilatio, sed occultatio. Hoc est, atomi igneæ ibi non annihilantur, sed disgregantur, ut porro sub visum ignis ille non cadat.

AXIOMATA.

I. Datur ignis Elementaris.

Ignem enim dari nemo negat. Hic ignis non minus Elementaris est, quàm aqua nostra, aut terra illa, quam pedibus calcamus. Ita ergò de igne sentimus. Quivis ignis culinaris ignem Elementarem in se continet, sed alienis qualitatibus & corporibus accidentaliter immersum.

II. Ignis Elementaris supra aërem sub concavo Lunæ non est.

Nec enim sensus, nec Ratio, nec
 Scri-

Scripturâ id dictitant. Ex hisce verò homo scit, quicquid scit. Levitatem si asserunt, levissimum non protinus supremum in mundo occupat locum. Cernimus omnes, aquam non totam tegere terram, licet hac existat levior.

CAPUT IV.

De

QUALITATIBUS
ELEMENTORUM,
PRÆCEPTA.

I.

Qualitates Elementorum sunt accidentia, è formis istorum emanantia, & actionibus ac passionibus inservientia.

II. Suntq; levitas & gravitas: subtilitas & crassities: caliditas & frigiditas humiditas & siccitas.

F 7

III. Le-

III. Levitas est qualitas, secundum quam Elementum sursum à centro fertur ut levitas ignis & aëris.

IV. Gravitas est qualitas, secundum quam Elementum deorsum ad centrum fertur. Ut gravitas terræ & aquæ.

V. Subtilitas est qualitas, secundum quam elementum transitum aliis corporibus concedit, & ipsum etiam alia facile transit. Ut subtilitas aëris & ignis.

VI. Crassities est qualitas secundum quam Elementum transitum aliis corporibus negat, & ipsum etiam alia facile non transit. Ut crassities terræ & aquæ.

VII. Ca.

VII. Caliditas est qvalitas, secundum quam Elementum alia corpora calefacit, attenuat, solvit, digerit, coqvit. Ut Caliditas ignis.

IIIX. Frigiditas est qvalitas, secundum quam Elementum alia corpora frigefacit, densat, adstringit & obstruit. Ut frigiditas aquæ.

IX. Humiditas est qvalitas secundum quam Elementum alia corpora humectat, emollit, & fluida reddit. Ut humiditas aquæ.

X. Siccitas est qvalitas, secundum quam Elementum alia corpora exsiccat, indurat, & firmiora reddit. Ut siccitas terræ.

QVÆ.

 QVÆSTIONES.

I. *Quomodo vulgò definiant caliditatem,
& quid ad definitionem istam
notandum?*

Resp. Dicunt: Calor est qualitas activa congregans homogenea, & segregans heterogenea. Verùm i. Primariam caloris actionem, quæ est calefacere, caloriqve & extra mistum, & in misto competit, malè omittunt.

2. Congregationem homogeneorum & segregationem heterogeneorum malè calori appropriant. In toto enim mundo raptus similibium, & fuga dissimilibium vigent, florentqve.

II. *Quomodo vulgò definitionem frigiditatem, & quid ad definitionem hanc
notandum?*

Resp. Inquiunt: Frigus est qualitas activa congregans & homogenea & heterogenea. Sed i. etiam frigoris actio primaria, quæ frigefacere est,
malè

malè omittitur. 2 Heterogeneorum congregatio frigori planè per accidens competit. Dum enim condensare conatur, ex accidente ea, quæ quoad superficies humore ac madore sca- tent, conjungit. Hinc avenam, horde- um, paleam, aliaqve quæ sicca sunt, fri- gus non congregat.

*III. Quomodo vulgò definiant humidi-
tatem, & quid ad definitionem illam
notandum?*

Resp. Humiditas illis est quali-
tas passiva, quæ termino proprio diffi-
culter est terminabilis, alieno verò fa-
cilè. Verùm. 1. iterum primaria humi-
ditatis actio quæ humectare est, humi-
ditatiqve & extra mistum & in misto
competit, malè omittitur. 2. Malè
etiam è ratione termini humiditatem
definiunt. Termini nunquam pro-
pter qualitates, sed propter quantita-
tem corporibus tribuuntur. 3. Si cor-
pora

pora propter humiditatem terminò proprio difficulter terminantur, alieno verò facilè, cur ignis, qui humidus non est, difficillimè termino proprio terminatur, alieno facilè.

I. *Quomodo vulgo definiant siccitatem, & quid hic sciendum?*

Resp. Siccitas illis est qualitas passiva, quæ termino proprio facilè est terminabilis, alieno difficulter. Sed 1. & hic primaria siccitatis actio, quæ est exsiccare, malè negligitur, 2. Iterum malè è ratione termini siccitatem describunt. 3. Si corpora propter siccitatem termino proprio facilè terminantur, cur ignis, qui siccus est termino proprio difficillimè terminatur?

AXIOMATA.

I. Qualitates elementares ab elementorum formis emanant.

Ignis

Ignis caliditatem suam, nec à proprio, nec à coeli motu, sed à forma sua habet. Aquæ frigiditas non sanè ex motus ac luminis privatione, sed ex formæ actione oritur. Propria enim dant formæ.

II. Frigus positivum ens, non privativum est.

Positivos enim edit effectus. Miles quondam nimis intenso frigore lignorum gestavit fascem, & gelu ita correptus fuit, ut mantis oneri adherentes deciderint. Et frigoris potentiam homines, bruta ac plantæ experiuntur quotannis.

III. Non omne leve calidum, nec omne grave frigidum est.

Levis est nix, nec tamen calida. Levis palea, calida non est. Pulvis levis est, sed non calidus. Venti sæpè dantur frigidissimi, ac non gravissimi.

LIBER QUINTUS.

De
EFFLUVIIS.

CAPUT I.

De
EFFLUVIIS IN GENERE.
PRÆCEPTA

Effluvium est corpus uaturale,
è terris & aquis potiffimum
virtute siderum extractum, va-
rias sustinens impressiones.

II. Dividitur in Simplex & Mi-
stum,

III. Simplex est Atomus.

IV. Mistum, Fumus & Vapor.

QVÆSTIONES.

I. *Quomodo Sol calefaciat?*

Resp. Non Motu. Quid enim mo-
tus

tus ille, qui in cœlo fit ad nostrum aë-
 rem? Non lumine. Lumen enim nec
 ut sic, nec ut Solis lumen, calefacit.
 Non ut sic quia lumen qualitas spirita-
 lis est, quæ materialem producere ne-
 quit. Hinc noctes sereniores, non pro-
 tintus etiam sunt calidiores, sed ferme
 frigidiores. Non ut Solis lumen id fa-
 cit, quia nulla apparet ratio, cur lumi-
 na ejusdem speciei non sequatur idem
 effectus. Neque radiis per se. Nam
 etiam hi qualitates intentionales sunt.
 Et singulis annis dantur æquales, nec
 tamen æqualem producunt fervorem.
 Imò in locis septentriolibus radii i-
 sti valde exigui & debiles sunt, & ta-
 men sæpè ibi fiunt ardores intolerabi-
 les. Sed effluvia è terris extracta calo-
 rem illum faciunt, Atomi scilicet i-
 gneæ ob similitudinem, quam cum ra-
 diis Solaribus habent, cum istis sese
 conjungunt, & sic æstatis ardorem
 producunt.

II. *Quomodo Stella frige faciant,
humactent, exsiccent, caliaq;
plura praestent?*

Resp. Frigiditas non ex defectu
vel motus, vel luminis, vel fractionis
radiorum oritur. Quod enim Ens po-
sitivum est, etiam causam positivam,
non privativam habet. Sed & hic
ad Atomos recurrendum. Luna nem-
pe, aliaque stellæ, atomos aqueas è
terris & aquis extrahunt, iisque aërem
& obvia quævis replent: unde è mu-
ris, & pomis, carnibus, cantharis, è pa-
ne, & ejusmodi centenis aliis, sub spe-
cie aquæ istæ iterum exeunt. De hu-
miditate, siccitate, cæterisque idem
esto judicium, quippè quæ per efflu-
via hæc optimè innotescunt.

AXIOMATA.

I. Effluunt è terrâ, aquâ, & mistis,
plurima.

Hinc

Hinc enim nebulæ, nubes, venti, grandines, taliaque infinita surgunt. Hinc pestilentiaë, cunctaque contagia nascuntur. Hinc omnis aëris impuritas provenit.

II. Effluvia crassitie & subtilitate variant.

Non id talem, quod sensibus patet, ponderandum à doctis. Subtilissima quæque sensuum aciem eludunt, & solâ mente prehendi gaudent. Hinc non crassiora tantum effluvia, qualia sumi & vapores vel rusticis noti, cognoscenda, sed alia etiam subtiliora & tenuiora pensanda. Ubi sensus definit, obtusus, ibi mentis acies pergat penetrare in subtilissima.

CAPUT II.

De

ATOMIS.

PRÆ-

PRÆCEPTA.

I.

A Tomi sunt effluvia minutis-
sima, ob summam parvitatem
individua, variarum actionum
& passionum causæ.

II. Suntque Ignis, Aëris, Aquæ
Terræ, Mistorum, Plantarum
& Animalium.

QVÆSTIONES.

I. *An dentur Atomis?*

Resp. Affirmat hoc ratio, confir-
mat experientia, comprobant erudi-
ti. Ratio; quia in infinitima natura
corpora non dividit, sed ad minimū cū
pervenit, quiescit. Experientia, Cum
fumus spargitur in aërem, ita ut mox
fiat inconspicuus, non sanè annihila-
tur, sed in atomos dispergitur. Pul-
verem in vestibus & libris sæpè specta-
mus omnes, licet quando istis fuerit
ad.

SYNOPSIS PHYSICA. 149

adsperfus, viderit nullus Eundem
etiam è vestibus & libris dum excuti-
mus, in atomos dispellimus. Fari-
nam & calcem in innumeras atomo-
rum myriades dispergi, quis unquam
negare fuit ausus? Et cum vinum aqua
diluitur, ut nullibi vinum purum, nul-
libi etiam aqua pura deprehendatur,
quid nisi atomorum ibi facta fuit con-
junctio? Eruditi, Mochus Phæni-
cius, Empedocles, Leucippus, Demo-
critus, Anaxagoras, Plato, Aristoteles,
Galenus, Scaliger, Basso, Sennere-
tus, &c.

II. *An Democritus primus fuerit, qui
atomorum doctrinam proposue-
rit?*

Neg. Communiter Democritus
pro deliro & infano habetur ob opi-
niones, quas habuit de atomis. Verum,
cur Democrito adscribunt, quod lon-
gè ante Democritum fuit? Doctri-
nam

G

nam

nam enim hanc de atomis etiam Mo-
chus Phœnicus, qui fermè Mosis coæ-
taneus fuit, proposuit, quem postmo-
dum Democritus, Plato, Empedocles,
& alii secuti sunt. Sed facilius est ali-
quem culpare, quàm refutare.

*II. An Atomis sint corpora illa minuta,
quæ loco opaco per transversos Solis
radios in aère volare viden-
tur.*

Neg. Qui id ajunt, rectè à Basso-
ne castigantur his verbis: Crassius illi
de hac subtilitate cogitant, qui has De-
mocriti Atomos putant similes illis
minutis, quæ loco opaco per transver-
sos Solis radios volitare conspiciun-
tur: cum in singulis illis corpusculis,
vel mille quales agnovit Democritus
atomos agnoscere queas? si quod ab
experientiâ ratio clarissimum facit,
consideres.

W. QVÆ.

IV. Quanam Veterum Philosophorum fuerit de atomis sententia, & quid de eâ censendum?

Resp. Ex atomis corpora naturalia fieri, & in atomos ea iterum resolvi dixerunt. Causas generationum, corruptionum aliarumque mutationum, atomos esse voluerunt. Genuinam mixtionis naturam non nisi in atomorum congregatione consistere, docuerunt. Et atomorum plenum esse aërem, plenam aquam, plenam terram, totumque Mundum nil nisi atomorum domicilium esse, affirmarunt. Quæ omnia aliter se non habere videt, quicumque Naturæ opera absque præconceptis opinionibus videre gaudet.

AXIOMATA.

I. Atomorum doctrina Scripturæ Sacræ contraria non est.

Nullibi enim hæc illam rejicit, nullibi

libi damnat. Pastores verò, si de ea loquuntur nonnunquam acerbè, mundi constitutionem ex fortuito atomorum concursu refutant; quod & nos facimus. Aut si plus ultrà procedere gestiant, illud audire non recusent: Ne sutor ultra crepidam. Hoc quæso, quid attinet judicare, an Atomus dentur, an non; an generationum & corruptionum principia sint, an non? an missionis natura & ratio in illarum congregatione ac disgregatione consistat, an secus?

II. Atomus multarum mutationum causæ sunt.

Cepas & raphanos qui secant, morsus oculorum sentiunt. Ob atomos è cepis & raphanis egressas. Boves & vaccæ locum cum petunt, quo mater fuit ante bos, aut jugulata vacca, vociferantur, & conturbantur. Ob atomos in aëre hærentes, in consensum

sum confimilia animalia rapientes.
 Canes vestigia heri à vestigiis peregrini discernunt. Ob atomos è corpore heri & peregrini egressas. Ita scilicet in minimis maximis pollet viribus
 Natura.

CAPUT III.

De

Fumis & Vaporibus.

PRÆCEPTA.

I.

Fumus est effluvium mistum, calidum & siccum, levius & subtilius, è terra locisque aridis virtute siderum extractum.

II. Vapor est effluvium mistum; frigidum & humidum, gravius & crassius, ex aqua locisque udis virtute stellarum extractum.

G 3

QVA

 QVÆSTIONES.

I. *An in Fumo & vapore aliud quid præter quatuor Elementa deprehendatur?*

Aff. Negant hoc multi, sed frustra. Fumus sæpè egregiè mordicat oculus, qui morsus nec à terra, nec ab aqua, nec ab aëre, nec ab igne est. Vapor non rarò foetorem habet adjunctum, aliterque foetet cadaver hominis, aliter cadaver equi, aliter canis, bovis, & felis. Sed foetor hïc à nullo Elementorum est, quippè quæ omni carent odore.

II. *Quidnam sit illud, quod in fumo & vapore præter quatuor Elementa deprehenditur?*

Resp. Sal, Sulphur & mercurius, quæ uno nomine vocantur Principia Chymica. Chymici enim cum ab Elementis non omnes mistorū qualitatē

litates prodire, nec sine egregiis confusionibus & contradictionibus actiones quasvis ad calidum, frigidum, humidum & siccum communiter referri viderent, alia adhuc principia produxerunt, quæ ab Autoribus suis principia Chymica denominata fuerunt.

AXIOMATA.

I. Vapor non est aër.

Aërem cum vapore conjungi, non negandum: interim aqua potius resoluta vapor est, quam aër. Aquam enim igni admotam in vaporem protinus resolvimus. Si vesicæ guttulas aliquot aquæ instilles, & collo obstricto fornaci calenti admoveas, extenditur vesica & intumescit. Si verò à fornace vesicam removeas, & in locum frigidum reponas, vapor in aquæ guttulas redit, & vesica detumescit.

II. Vapor nec ob aërem, nec ob

G 4 aquam,

aquam, sed ob ignem ascendit.

Ob eërem non ascendit, quia jam antè regionem propriam aër ille occupat. Neque ob aquam quia hæc gravis est, ob quam descendit, non ascendit. Solus restat ignis, qui resolutionem illam aquam in sublime vehit. Et hoc tandem à frigore expresso, aqua iterum coarctatur, & in pristinum statum locumq; revertitur. Idem in sudore habemus, idem in vitro vapores cogente.

CAPUT IV.

De

Principiis Chymicis.

PRÆCEPTA.

I.

PRincipia Chymica sunt corpora naturalia mixta, in prima mundi creatione cum aliis re-

rum

rum naturalium speciebus a
DEO condita, ut istarum es-
sent materia peculiarumque
& affectionum & effectuum
causæ.

II. Sunt tria: Sal, Sulphur & Mer-
curius.

III. Sal est corpus naturale mi-
stum, sapes gignens, in hu-
mido liquefcens, in sicco con-
crescens, ac mirabiles pene-
trandi, detergendi, & putrefa-
ctionem prohibendi, vires ob-
tinens.

IV. Sulphur est corpus naturale
mistum, oleaginosum ac visci-
dum, odores gignens, inflam-
mationes efficiens, & corpora
mista colorata reddens.

G 5

V. MOR

V. Mercurius est corpus naturale
 mistum, liquidum & spirituo-
 sum, inconstantiam corporibꝫ
 mistis adferens.

QVÆSTIONES.

I. *Quomodo probentur hæc Chymico-
 rum principia?*

Resp. Probantur potissimum du-
 pliciter: 1. Ex affectionibus & opera-
 tionibus. Dantur enim affectiones &
 operationes, quæ corporibus mistis
 conveniunt, & ex Elementis haberi
 nequeunt. Odores nempe, sapores,
 colores, taliaq; plura. 2. Ex corporum
 naturalium resolutionibus. Resol-
 vuntur enim mista non saltem in Ele-
 menta, sed in hæc tria principia Chy-
 mica. Id quod in quovis cadavere, in
 fimo, in fumo, in urinâ, in lixivio,
 aliisque videre est.

II. A. E.

II. *An per Sal, Sulphur, & Mercurium,
vulgò sic dicta corpora naturalia
intelligenda sint?*

Neg. Nec enim sola hæc corpora, Sal, Sulphur & Mercurium, in se continent, nec tantum ex Sale, Sulphure & Mercurio constant. Nihilominus tamen cum proprietates & operationes principiorum istorum, in nullis aliis corporibus melius & certius animadvertantur, ex illis appellationes suas desumere voluerunt Chymici. Sufficit ergò nominibus hisce ea ostentare corpora, quæ maximè salita, sulphurea & mercurialia sunt.

III. *An principia Chymica sint species
Mundi?*

Neg. Non n. propter se, sed propter alia sunt facta. Non separatim existunt ut esse proprium & ab aliis speciebus distinctū obtineant. Materiã saltem a-

liis corporibus naturalibus præbent. Mundum non integrant, sed mixtum tantum intrant. Et cum integrare Mundum videntur, eò ipso, quo mixtum intrant, non sui, sed alterius ratione, corporis nempe, ad quod constituendum concurrunt, id faciunt.

AXIOMATA.

I. Sale nihil utilius.

Hujus operâ cuncta vigent sapida. Hic optimum condimentum est. Hic putredinem arcet. Hic fœcunditatem conciliat, & ubiqve sua servitia ac famulitia humano generi offert.

II. Sulphuris necessitas maxima.

Ipsò enim careremus Igne, si careremus sulphure: Unde enim omnis noster ignis, nisi ex sulphure? Unde candelarum tempore vespertino accensarum virtus, nisi à sulphure? Lignis ipsis si non inesset sulphur, nec calefactioni, nec coctioni inservirent.

Quant

Quanta hinc vitæ humanæ è sulphure
dato commoda? Quanta è negato in-
commoda?

CAPUT V.

De

Qualitatibus Principiorū
Chymicorum.

P. R. Æ C E P T A.

I.

Qualitates Principiorum Chy-
micorum sunt accidentia,
à formis istorum proveniētia,
& actionibus ac passionibus in-
servientia.

II. Suntq; Sapor, Odor, Color,
& inflammabilitas.

III. Sapor est qualitas corporis
misti, orta à sale, ad rerum dif-
ferentias lingvæ repræsentan-
das.

G 77

IV.

IV. Dividitur in Extremos & intermedios.

V. Extremi sunt, Dulcis & Amarus. Ille est in pane, lacte, uvis maturis, melle, saccharo, glycirrizâ, &c. Hic in amygdalis amaris, pomis immaturis, uvis incoctis &c.

VI. Intermedii sunt, Salsus, Acer, Austerus, Acerbus, Acidus &c. Tales reperire licet in lixivio, in aceto, in allio, pipere, glandibus, gallis, succo limonum, &c.

VII. Odor est qualitas corporis mixti, ortâ sulphure, ad rerum differentias naribus repræsentandas.

III. Dividitur in Extremos & Intermedios.

IX.

IX. Extremi sunt, Dulcis & Amarus, seu Gratus & Ingratus. Ille est in melle, croco, moscho, &c. Hic in aceto, asâ foetidâ, urinâ putridâ, fecibus humanis & aliis.

X. Intermedii sunt, Gravis, Amarus, Stypticus, Acerbus, &c. Quos passim habemus in oleis, pinguedinibus, succis & aliis.

XI. Color est qualitas corporis misti, orta à sulphure ad rerum differentias oculis representandas.

XII. Dividitur in Extremos & Intermedicos.

XIII. Extremi sunt Albedo & Nigredo. Illa est in cygno, cretâ, & aliis: Hæc in corvo, eqvis nonnullis, canibus, gallinis, &c.

XIV. In-

XIV. Intermedii sunt, color ruber, flavus, viridis, purpureus, cæruleus, &c. Quod satis spectamus in cerasis, pomis, plantis, gemmis, metallis, &c.

XV. Inflammabilitas est qualitas corporis misti, orta à sulphure, ad corporum combustiones data. Hinc ligna combustilia.

QVÆSIONES.

I. *Quid de qualitatibus hisce sentiant vulgò?*

Resp. Ex Elementis omnes deducunt. Sapor illis est qualitas corporis misti à sicco terrestri in humido aqueo per calorem generata. Odor est qualitas corporis misti, ex sicco sapido temperato cum humido orta, & à calore educta. Hinc in sapore vincere humidam, in odore siccum continent.

dunt. Color est qualitas corporis mixti ex perspicui cum opaco commistione orta. Inflammabilitas est qualitas propter siccitatem & raritatem rebus competens.

II. *Quid hic consendum?*

Resp. Reclamat rerum magistra experientia. Si per calorem è sicco terrestri inhumido aqveo fit sapor, cur tot res siccissimæ sunt sapidissimæ? Piper Zingiber & alia aromata, sicca sanè sunt, non humida. Si in odore vincit siccum, cur tot res humidæ odoratissimæ; & tot res sicca inodora sunt. Odorata unina putrida est, inodora arena. Si color ex perspicui cum opaco fit mistione; cur aëris & terræ mixturæ colores non pariunt? Svavissimi gemmarum colores sulphuris potius, quàm aëris aut terræ soboles sunt. Si inflammabilitas ob siccitatem & raritatem convenit rebus, cur flammam

nam concipiunt olea, spiritus vini naphtha? Ab exemplis naturæ petendæ sunt rationes nostræ: non ab argumentis nostris subvertendæ naturæ rerum.

AXIOMATA.

I. Color est, cum lumen non est.

Veteres, inquit Scaliger, sensus mancipia suspicati sunt, ut ubi colorem nullum viderint, nullus item color esset. Idcirco divinus Poëta: Rebus nox abstulit atra colorem. Quasi color non sit intra soliditatem corporis, sed in sola superficie, idq; non nisi præsentis lumine. Quasi dissecto pomo color statim ibi generetur: Hac ratione color esset color, quatenus visibilis, & visibilitas esset coloris essentia, non autem effectus essentiam consequens. Quæ opinio mater esset illius absurdi: Ut color & lumen idem penitus essent essentialiter, solo

solo autem different subjecto. Hæc Scaliger, benè quoad res, malè quoad veteres.

II. Calor præstat non ut odor sit, sed ut perceptibilis sit.

Ut enim sit odor, à sulphure habet. Calor tamen cum attenuet & resolvat, odorem liberius in auras spargi efficit. Hinc horti aëre magis calenti, magis fragrant. Et quò magis fragrant, eò citius exolescunt; exhalatâ sensim parte illâ odorifera ac sulphureâ.

CAPIT VI.

De

Meteoris in genere.

PRÆCEPTA.

I.

METEORA sunt effluviolorum affectiones modò in hæc, modo in aliâ forma, ea repræsentantes.

II. Di-

II. Dividuntur in Hypostatica & Emphatica:

III. Hypostatica sunt, quæ eam quâ prodeunt faciem obtinent realem. Sic nebulæ, nubes, pluvia, revera sunt, quod esse videntur.

IV. Suntq; velignita, vel Aquea, vel Spirituosa.

QVÆSTIONES.

I. An Meteora sint corpora?

Resp. Inquiunt vulgò: Meteora sunt corpora imperfectè mixta, quæ ex halitibus è terrâ vel aquâ excitatis, & Solis calore stellarumq; aliarû virtute elevatis, generantur. Verùm Meteora sunt Iris, Parelius, Paraselene, & Halo: Corpora verò non sunt. Terræ motus, nonnè Meteorum? Corpus autem non est. Fulmina, tela DEI justis.

justissimi, Meteora sunt, sed corpora non sunt. Propria Meteori cujusvis ratio semper in accidente, nunquam in substantiâ aut corpore, sita est.

II. An Meteora fiant per Atomorum congregationem & segregationem?

Resp. Loquitur id res ipsa. Ignis fatuus nonnè ex Atomis sulphureis congregatis? Pluvia, nonnè ex Atomis aqueis congregatis? Ventus, annon ex Atomis spirituosis congregatis? Certè cuncta Hypostatica Meteora de atomorum congregatione & segregatione testantur prolixè.

AXIOMATA.

I. Effluviis accidunt Meteora.

Qvis nescit atomos, fumos & vapores, pro agentis & loci diversitate variè affici? Et hinc nebulae, nubes, venti, pluviae, irides, halones, parelii, cunctaque Meteora surgunt.

II. Me-

II. Meteora non omnia elevata sunt.

Terræ motus enim non in sublimi aëre, sed in ipsa terræ cavernis datur, Nebula & parùm elevatur, & cum elevatur, non tam nebulae quàm nubis sortitur rationem. Ros etiam ac pruina loca altiora non affectant.

CAPUT. VII.

De

Meteoris Ignitis.

PRÆCEPTA.

I.

Meteora ignita sunt, quæ ex effluvio pingvi ac sulphureo accenso oriuntur.

II. Sunt quæ plurima, præcipua verò ignis Fatuus, Ignis lambens, Draco volans, & Fulmen.

III. Ignis

III. Ignis Fatuus est meteorum ignitum, candelaë ardentis & huc illucq̄ve errantis speciem repræsentans.

IV. Ignis lambens est meteorum ignitum, equorum capillis & hominum pilis ac vestimentis, aliisq̄; sine noxâ adhærens.

V. Draco volans est meteorum ignitum, draconis volantis speciem exhibens.

VI. Fulmen est meteorum ignitum intra nubes detentum, & ex iis violentèr per aërem ad terram detrusum.

VII. Habet tria adjuncta: Tonitru, Fulgur, & Lapidem fulminarem.

VIII. Tonitru est sonus in nubea

CON-

concurſu effluuii ſulphurei & nitroſi excitatus.

IX. Fulgur eſt flammæ micatio, ab effluuiis ſulphureis accenſis orta, lumen de ſe ſpargens, lateq̄ve tractum terrenum illuſtrans.

X. Lapis fulminaris eſt corpus durum & ſolidum in nubibus generatum, & cum frigore in terram projectum.

QVÆSTIONES.

I. *Cur Ignis Fatuus ſequentem fugiat, & fugientem ſequatur?*

Reſp. Quia cum accedit quis aërem propellit, & cum aëre etiam iſtum ignem. Cùm verò fugit, aërem ſecum trahit, & cum a deo etiam illum ignem.

II. *Ubi generetur Ignis Fatuus?*

Reſp.

SYNOPSIS PHYSICA. 169

Resp. Erratica hæc fax in aëre pendula quam maximè in cœmiteriis spicitur, in locis etiam ad supplicia destinatis, & in iis, ubi hominum edita fuit strages. Suum enim sequitur pabulum pingvem nempè & sulphuream materiam.

III. *Cur fulmine magis lædantur dura & solida, quam rara & pervia?*

Resp. Quia illa transitum fulmini negant. Hæc verò istum facile concedunt. Hinc ubi fulmen moratur, dū transitus quærit, lædit. Ubi verò protinus transit, penetrat citiùs, quam lædere possit.

IV. *Quo duplex est fulmen?*

Resp. Triplex: Terebrans, Discutiens, & Urens. Terebrans est, quod ob flammæ tenuitatem & puritatem per augustissima quæque meat. Hoc lædantur solida, raris illæ sit. Discutiens

H

tiens

tiens est, quod ob spiritus coactos disjicit & dirumpit iceta. Hoc turre franguntur, quercus scinduntur, aliaque durissima corpora disjiciuntur. Urens est, quod magis igneum est, & tacta lædit, vel afflando, vel accendendo, vel comburendo. Hoc accenduntur & comburuntur tuguria, pagi, urbes.

AXIOMATA.

I. Fulgur, licet leve sit, descendit.

Quæ enim descendunt, inquit Scaliger, ea moventur motu hoc, aut per se à natura, aut per accidens à vi. Naturâ descendit pluvia, quæ erat exhalationis pars, subvecta primùm à calore misto: quo altius abeunte destituta suo pte pondere defertur. Vi verò detruditur fulgur.

II. Fulgur prius conspicitur, quàm tonitru auditur.

Ut

Ut enim fiat sonus, aëris necessaria est fractio. Hæc absq̄ve temporis spatio non fit. Aurium etiam plures dantur anfractus, speciesq̄; per ambages offertur auditui. Quæ cum in visu non dentur, objecta sua visus percipit celerius. Idem cernim⁹, cum globuli è bombardis mittuntur, cum ligna finduntur, & cum linteola lavantur.

CAPUT VIII.

De

METEORIS AQVEIS.

PRÆCEPTA.

I.

Meteora aqvea sunt, quæ ex effluviis aqveis oriuntur.

II. Suntq̄ve plura, Nubes, Pluvia, Grando, Nix, Pruina, Ros, Nebula, Glacies.

III. Nubes est Meteorum aqve-

H 2

um

um ex effluviis ad mediam aëris regionem delatis genitum, & pro ventorum varietate variè agitatum.

IV. Pluvia est Meteorum aqueum, è nube in aqua guttatim resolutâ genitum.

V. Grando est Meteorum aqueum, è guttulis pluvialibus, in descensu à frigore conglaciatis ortum.

VI. Nix est Meteorum aqueum, è nube condensata antequam in pluvias resolvatur, natum instar lanæ mollioris terram petens.

VII. Pruina est Meteorum aqueum, ex effluvio crassiusculo, fermè in modum nivis à frigore vehementiore condensato, genitum.

VIII.

VIII. Ros est Meteorum aqueum ex effluvio crassiusculo à frigore debiliore collecto genitum, instar tenuissimarum aquæ guttularum plantarum floribus & foliis adhærens.

IX. Nebula est Meteorum aqueum, ex effluviis multis in infimâ aëris regione excitatis, & quodammodo condensatis, genitum, aërem proximum obscurans.

X. Glacies est Meteorum aqueum, effluviis aqueis condensatis & consolidatis à stigore vehementiori genitum.

QVÆSTIONES.

I. *Cur nubes non decidunt in terram?*

Resp. Quia leves sunt. Post verò

atomi aqueæ magis magisque congregantur, & aqua quæ gravior est inde producitur, sicque in terram reddit, quod è terra venit.

II. Quanta nubium à terris sit distantia?

Resp. Est ea inæqualis. Interdum enim vix absunt spacio dimidii miliaris, interdum ultra decem, & plura milliaria Germanica ascendunt. Fit hoc partim ob nubes ipsas, partim ob loca, partim ob tempora.

III. Cur nonnunquam in locis humilioribus pluat, in altioribus & montanis ningat?

Resp. Quia infima aëris regio paulò calidior nives liquefacit. Unde quod in locis altioribus est nix, in humilioribus est pluvia.

IV. Cur grando facilius resolvatur in aquam quàm nix?

Resp. Quia quæ aquæ propriat
fa

facilius in eam resolvuntur, quàm
quæ remotiora sunt.

V. Unde grandinis imagines?

Resp. Nec à caliditate, nec à singulari corporum cœlestium constellatione. Subest causa sine causa, & principium sine principio. Extraordinariæ illæ gradines supremam monstrant causam, quæ homines admonet de vitiis deponendis & vitis corrigendis. Alia verò ratio est, quando in grandinum globulis pili, pulvis, ligna, & alia reperiuntur, quæ unà cum vapore sursum vehuntur, aut in descensu admiscentur.

AXIOMATA.

I. Quod nebula est in aëre infimo, nubes est in medio.

Vapores quippe è terra & aqua ascendentes, nunc infimum, nunc medium obscurant aërem. Hinc nunc

H 4

nebu

nebulam, nunc nubem habemus. Ut
diversitas loci, diversum gignat me-
teorum.

II. Pluvia agris & hortis utilior
aqua fluviali est.

Vapores enim è fimo ; aliisque
rebus pingvibus in maximâ exerunt
copiâ. Pingvedo autem agris & hor-
tis, nitidissima.

III. Nivis splendor ab aqua est.

Aqua enim lumen quoddam,
quamvis debile, de se spargit. Nix ergo
cum aqua condensata sit, de luce et-
iam ac lumine non parùm participat.
Non secus ac glacies, eaque in minuti-
ores partes contusa.

CAPUT IX.

De

Meteoris Spirituosus.

PRÆCEPTA.

I. Me-

I.

Meteora Spirituosa sunt, quæ
ex effluviis spirituosis ac fla-
tuosis oriuntur.

II. Suntque Ventus & Terræ mo-
tus.

III. Ventus est Meteorum spiri-
tuosum ex effluvio flatuoso è
globo terreno egresso ortum,
quod ascendere laborans re-
primitur, & in obliquum retor-
quetur, cumque impetu per-
aërem ruit.

IV. Terræ motus est Meteorum
spirituosum, ex effluvio fla-
tuoso terræ cavernis præter
naturam incluso, exitumque
cum impetu quærente geni-
tum.

H,

QVÆ.

 QVÆSTIONES.

I. *Cur Venti nunc calidi, nunc frigidi,
nunc humidi, nunc sicci, nunc
salubres, nunc noxii sint?*

Resp. Quia miscentur cum aë-
ribus, quæ in locis existunt, per quæ
transeunt. Hinc septentrionales fri-
gidi sunt, quia perflant loca nivosa.
Australes verò calidi, quia transeunt
per loca calida.

II. *Quomodo Ventus à terræ motu
differt?*

Resp. Quod supra terram ventus,
id intra terram terræ motus est. Hinc
plerumque terræ motum sequuntur
venti, nec prius illa terræ agitatio ces-
sat, quàm venti profiliant.

AXIOMATA.

I. *Ventorum locus inventu dif-
ficilis.*

*Murmura ventorum audimus, sed
nunc*

unde veniant, & quò vadant, nescimus. Ex terra quidem & aquis peculiari astrorum influxu, halitus illi elevantur, sed certam hujus aut istius ventii determinare rationem, humani non est ingenii.

II. Terræ motus, fulgura & tonitrua, ars non minus quàm natura præstat.

Pulveris enim tormentarii operâ aperiuntur montes, subruuntur oppida, evertuntur muri, dilacerantur turres & fortissima munimenta. Unde Scaliger inquit: Pace tuâ dicam Jupiter, fulmina nostra sunt terribiora tuis: age, coge nubes, ut tonare queas: nos etiam re tranquillo iratum regnum tuum faciamus.

CAPUT. X.

De

METEORIS EMPHATI

C I S.

H 6

PKÆ

PRÆCEPTA.

I.

Meteora Emphatica sunt, quæ formam, quâ apparent realem non obtinent. Sic Iris, Halo & Parelius, id non sunt, quod esse videntur.

II. Frequentiora & potiora sunt: Parelius, Paraselene, Halo, Iris, Virgæ, Stellæ Candentes, Rubedo matutina & vespertina.

III. Parelius est Meteorum Emphaticum, ex Solis specie, receptâ in nube æquali, splendidâ & continuâ genitum, ut duo vel tres Soles in aëre esse videantur. Dicitur Parelius $\omega\delta\alpha'$ & $\eta\lambda\iota\odot$ quasi dicas.

cas, Sol alius juxta verum po-
fitus. Germanicè *zwo Sonnen*
nen.

IV. Paraselene est Meteorum
Emphaticum, ex Lunæ specie,
recepta in nube æquali splendi-
dâ & continuâ, genitum, ut
duæ vel tres Lunæ, in aëre esse
videantur. Dicitur Paraselene à
παρά & *σελήνη*, quasi dicas, Lu-
na alia juxta veram posita. Ger-
manicè *zwey Monden.*

V. Halo est Meteorum Emphati-
cum, ex radiis Solis, Lunæ,
aut alterius Stellæ majoris,
in nubem subjectam sparsis,
genitum, ut corona circa So-
lem, Lunam, aut aliam stel-
lam clariorem appareat. Di-

H 7 *ci-*

çitur Græcè, *ἄλωις*, area, circulus, Germanicè der Sonnen Hoff/ des Mondes Hoff/ &c.

VI. Iris est Meteorum Emphaticum, in & à guttulis aqueis, ex radiorum Salis oppositi receptione, fractione, & refractione genitum, arcum varicolorem oculis spectantium exhibens. Germanicè ein Regenbogen.

VII. Virgæ sunt Meteorum Emphaticum in nube aqueosâ & dissimiliter rarâ, ex radiorum Solis ad latus collocatî receptione & reflexione genitum, lineas seu ferulas repræsentans. Germanicè die Sonne zeucht Wasser.

VIII. Stellæ cadentes sunt Meteorum Emphaticum, ex effluvio supernè accenso genitum & ob loci frigiditatem repressum ac deorsum detrusum, stellarum è coelo candentium imaginem offerens.

IX. Rubedo matutina est Meteorum Emphaticum, ex vaporibus in aëre hærentibus, ac lumine Solari perfusis manè ortum, tempestatem indicans.

X. Rubedo vespertina est Meteorum Emphaticum, ex vaporibus in aëre hærentibus, ac lumine Solari perfusis vesperi ortum, serenitatem indicans.

Q V Æ.

 QVÆSTIONES.

I. *An Meteora Emphatica sint Entia realia?*

Distingvitur. Reale opponitur
 1. Enti rationis. 2. Enti in potentia 3.
 Enti intentionali. Primo & secundo
 modo Meteora hæc omninò Entia re-
 alia sunt. Actu enim in Mũdo dan-
 tur, citra omnem intellectus opera-
 tionem. Tertio modo Entia realia non
 sunt, sed saltem Entium realium ideæ,
 species, & imagines.

II. *An Iris fuerit ante diluuium?*

Aff. Adfuerunt enim ibi eadem
 Iridis cauſæ, quæ ad sunt hodiè Nem-
 pè guttulæ, & Solis aut lunæ radii,
 quibus supervenit oculus. At positis
 iisdem cauſis; etiam idem sequitur
 effectus.

III. *An Stella reverâ è cælo deci-
 dant?*

Neg. Id enim si fieret, quantulus
 quæ-

quæso etiamnum stellarum numerus
restaret? Nonne jam dudum lumini-
bus suis orbatus fuisset terrarum or-
bis? Et cum maxima stellarum sit
quantitas, vel unica casu suo terram
totam dedisset obrutam.

AXIOMATA.

I. Multa apparent, quæ non sunt.

Meteora hæc mera phasmata &
simulacra sunt, quæ non mirificè fal-
lant luduntq; sicut virgines ac muli-
eres nigris utuntur flabellis, non tam
ut ventum sibi faciant, quàm ut candi-
diores appareant.

II. Arcus non nubis, sed guttu-
larum minimarum
affectio est.

Cum quis occipite Soli obverso
aquam ore aut instrumento quodam
spargit in aërem radiis Solis illustra-
tum, iridem in guttulis aqueis conspi-
cit.

cit. Idem vivere est in fistula, aliqua parte rupta, si per exiguum foramen aqua elidatur, & contra Solem spargatur, ut oculus videntis medius sit inter Solem & guttulas illas aqueas.

LIBER SEXTUS.

De

MINERALIBUS.

CAPUT I.

De

MISTIONE.

P R Æ C E P T A.

I.

Mistio est miscibilium in minima divisorum unio, à forma-specifica facta.

II. Dividitur 1. in Perfectam & Imperfectam. 2. In Regularem & Irregularem.

III.

III. Perfecta mistio est, quâ miscibilia perfectè miscentur, mistumqve perfectum constituitur.

IV. Imperfecta mistio est, quâ miscibilia imperfectè miscentur mistumq; imperfectum constituitur.

V. Regularis est, quæ secundum leges à natura præscriptas fit.

VI. Irregularis est, quæ contra leges à natura præscriptas fit.

QVÆSTIONES.

I. *Quenam sit princeps mistionis causa?*

Resp. Forma specifica rei cujusque.
 Rectè Scaliger ait: Nisi quatuor illa //
 Elementa rectorem habeant, temerè //
 ac sine modo metaque & jactabunt &
 ja.

B jactabuntur. Quid enim illud est, quod tantum terræ, tantum commiscet cæterorum?

II. *An formæ Elementorum in misto maneant?*

Aff. manentibus enim Elementis, manent etiam Elementorum formæ. Manent autem Elementa, quia miscentur. Quæ non manent, nec misceri, nec uniri queunt.

III. *Quomodo formæ Elementorum in misto maneant?*

Resp. Integræ Formæ enim illæ substantiæ sunt. At substantia magis & minus non recipit. Nihil hic addi, nihil demi potest. Tota vel adest, vel abest, punctum hoc infestile est.

AXIOMATA.

I. Perfecta mistio præsupponit imperfectam.

Nullibi enim natura saltum facit,
sed

sed semper gradus amat. Antequam ergò perveniat ad complementum, prius dat rudimentum. Sic ab auro imperfecto ad perfectum, à quercu imperfectâ ad perfectam, à cane imperfecto ad perfectum provida procedit Mater.

II. In Natura datur, sed à Natura non approbatur irregularis mixtio.

Ficus platano & moro inseritur, motus castaneæ, castanea nuci. Trunco pruni, rami, cerasi, pyri, ac pomi inseruntur. Asinus miscetur cum equâ, & pardus cum leonâ. Ubi sua servat species quævis, nec plantanus mori, nec asinus equi gaudet indole. Abhorret verò à mixtione hac solers Natura, Non hujus intentio prima hæc specierum confusio, sed immixtas volebat species.

II. Mi-

III. Mistio per minima fit.

Non enim Artificialis, sed Naturalis est. Ars interdum crassa crassis jungit, hordeum hordeo, triticum tritico. Accuratiores Naturæ mistio est, quæ minima minimis miscet. Minimum minimi animalculi membrum quatuor constat Elementis: Sanè minimis, sanè atomorum in morem congregatis.

CAPUT II.

*De*GENERATIONE ET
CORRUPTIONE.

PRÆCEPTA.

I.

Generatio est actio corporis naturalis misti, quæ sibi simile producit ex semine, ut perpetua specierum conservatio constet.

II. Dividitur in Inchoatam seu
Im-

Imperfectam & Consummatam seu Perfectam.

III. Inchoata est actio, quâ forma mediante aliquâ suâ speciei materiâ producitur.

IV. Consummata est actio, quâ totum compositum cum omnibus suis partibus producitur.

V. Corruptio est passio corporis naturalis mixti, quâ in minima sua solvitur.

VI. Dividitur in Naturalem & Violentam.

VII. Naturalis est, quæ secundum communem naturæ cursum accidit.

VIII. Violenta est, quæ præter communem naturæ cursum accidit.

QVÆ.

 QVÆSTIONES.

I. *An Generatiô sit mutatio à non esse ad esse?*

Resp. Hoc non esse privationem notat. Privatio verò generationis principium cum non sit, etiam generatio mutatio à non esse ad esse non est.

II. *An corruptio sit mutatio ab esse ad non esse?*

Resp. Iterum privatio infertur. Ita scilicet, ut in rerum corruptionibus forma substantialis abjiciatur, & in privationem redeat: Ad hoc cum nunquam fiat, etiam corruptio mutatio ab esse ad non esse se non est.

III. *An detur generatio Æquivoca?*

Neg. Simile enim à simili, effectus particularis à causa particulari. Homo ab homine, brutum à bruto, planta à planta, metallum à metallo. Com-

m^{us}

munis siderium influxus speciem non dat, & non magis ranam aut murem, quàm hominem aut equum generat.

IV. An combustio sit misti in ignem conversio?

Neg. Cernimus omnes in combustione magnam partem terræ remanere, salis etiam particulas plurimas residuas esse. Et id, quod in flamma apparet, non solus ignis est; unde tanta operationum ibi diversitas.

AXIOMATA.

I. Generatio æternitatem dat caducis.

Vivit homo in homine, brutum in bruto, frutex in frutice, herba in herba. Non moritur, vivam sui quod reliquit imaginem.

II. Generationis terminus forma est.

I

Pro

Proximus scilicet. Ultimus verò totum compositum est. Hoc enim Natura primariò intendit, cum formâ nobilior sit. Primum autem in intentione, ultimum in executione.

III. Corruptio mistorum assecla.

Irreconciliabiles inimicitia sunt, è quibus conflatum mistum est. Semper ignis contra aquam, & aqua contra ignem. Hinc tandem diffluit omne mistum, &c.

Mors etiam saxi marmoribusque venit.

IV. Nihil omninò perit.

Ex Elementis conflata sunt mista. Illa incorruptibilia cum sint, mista planè perire nequeunt. Solvuntur saltem & dissipantur, miro foedere quæ connexa erant antè.

CAP-

CAPUT III.

De

TEMPERAMENTO
ET COCTIONE.

PRÆCEPTA.

I.

Temperamentum est qualitas corporis mixti, è miscibilium qualitatibus exorta, ut illius operâ mixta suas exerceant operationes.

II. Coctio est actio, quâ beneficio Calidi mixtum coquendum perfectionem suam consequitur.

QVÆSTIONES.

I. Unde Temperamentum?

Resp. E quatuor qualitatibus, caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate. Harum conjunctio temperamen-

I 3

men-

mentum parit Et quidem nunc Simplex, nunc Compositum, prout vel unica qualitas tantum, vel duæ excedunt.

II. An in temperamento detur qualitatum remissio?

Neg. Ignis calor in temperamenti, constitutione non remittitur, sed est, manetque summus. Aquæ frigus non gradus quosdam deponit, sed omnes servat. Saltem pro atomorum qualitatibus excellentibus præditarum variâ congregatione, aliud atq; aliud temperamentum constituitur. Hinc non novum, rem unam & calefaciendi & frigefaciendi, & solvendi & obstruendi pollere virtute.

III. An temporemento omnes mixti operationes adscribende?

Neg. Hoc enim è qualitatibus Elementaribus cum pronascatur, vires ista-

istarum non excedit. Unde occultæ qualitates aliam postulant originem. Rectè Scaliger ad Cardanum: Qvis te malus genius Alexandrus eò, adegit ut miserè crederes, sola elementorum mixtione fieri posse, ut ferrum trahatur à magnete?

AXIOMATA.

I. Temperamentum accidens est.

Oritur enim ex accidentibus. At nō ex infinitis quidem accidentibus una pronascitur substantia. Tactu etiam dignoscitur. Calidum hominis temperamentum tactu sentim⁹. Ranarum & pilcium temperamentum frigidum itidem tactus monstrat. At sub sensum non nisi accidens cadit.

II. Temepramentum varium est.

Aliud ad pondus dicitur, aliud ad justitiam. In illo æqualitas, in hoc

I ;

inæ.

inæqualitas datur. Hocque vel Simplex, vel compositum est. In simplici qualitas una, in composito plures excedunt. Et quot mixtorum species, tot ferme temperamentorum genera sunt. Cum primis verò animalium temperamentum in Sanguineum, Cholericum, Phlegmaticum & Melancholicum dispescitur. Sanguineum calidum & humidum est. Cholericum calidum & humidum. Melancholicum frigidum & siccum. Hinc Sanguinei lati, Cholericus rixosus, Phlegmaticus piger, Melancholicus tristis.

III. Coctio ex oppositis fit.

Duo præcipuè in coctione attendenda. Agens & Patiens. Agens calor est, partim Internus, partim Externus. Sic poma, pyra & uvæ non solum interni ac domestici caloris operâ

perâ coqvuntur, sed quàm maximè etiam Solis desiderant fervorem. Patiens humor est, unde lapidem non coqvimus, sed carnes, ova, poma, pyra:

CAPUT IV.

De

**MINERALIBUS IN
GENERE.**

PRÆCEPTA.

I.

Mineralia sunt corpora naturalia mista, è sulphure, mercurio & sale, beneficio propriæ formæ formata & è mineris ac visceribus terræ eruta.

II. Dividuntur in Lapides, Gemmas, Metalla in specie sic dicta, & Mineralia media.

I 4

QVA-



 QVÆSTIONES.

I. An mineralia fiant ex exhalatione vapida, terræ visceribus inclusa, beneficio caloris ac frigoris, ob concursum Solis aliarumq; stellarum?

Neg. Vulgò hæc ratione se satis mineralium naturam expressisse existimant. Verùm ne corticem quidem attingunt, multò minus nucleum. Causas enim merè remotas afferunt, quæ si rem absolverent, dubio procul plus auri & argenti in mundo esset, quàm esse experimur.

II. An seminale principium mineralibus concedendum?

Aff. Quemadmodum animalia è certo generantur semine: ita & mineralia suum seminale habent principium. Hinc ut plantæ plantas, animalia animalia, sic & gemmæ gemmas, lapides lapides, metalla metalla, semperq; similia similia producant.

AXIO.

AXIOMATA.

I. Terra magnum Naturæ Laboratorium est.

Hinc infinitæ fiunt destillationes. In profundissimis ventis ac meatibus è spiritibus variis talia elaborantur corpora, quæ nec Ars unquam mirari, nec hominis ingenium satis mirari ac rimari potest.

II. Mineralia nec viva, nec mortua sunt.

Animam enim nec habent, nec habere debent. Nec enim verè nutriuntur, nec propriè augentur. Chymicorum quidam propter egregias vires & operationes vitam istis adscribere non dubitant. Sed propriè dicta vita, quæ animam insequitur, hinc non pareret, cum & formis aliis nobilissimæ convenient operationes.

CAPUT V.

DE LAPIDIBUS.

I s

PRÆ]

P R Æ C E P T A.

I.

L Apides sunt mineralia crassa,
dura, ignobilia, ex succo lapi-
descente & spiritu lapidifico
genita.

II. Dividuntur in Porosos &
Solidos.

III. Porosi sunt, qui ex materiâ
non adeò concretâ constant,
partesqve admodùm raras ha-
bent, ut pumex, Bimstein/ to-
phus, Toffstein/ & alii.

IV. Solidi sunt, qui ex materiâ
magis compactâ constant, par-
tesqve solidas habent, ut filex,
Feverstein/ cos, Wekstein/
marmor, Marmelstein/ &c.

QVÆ

QVÆSTIONES.

I. *Cur lapides in aquam projecti non supernatent?*

Resp. Ligna aquis immissa supernatare, spectat quivis. Secus longè res se habet de lapidibus. Hi fundum petunt, ibique immobiles aliquamdiu perstant. In causa est gravitas. Gravior enim aqua lapsis est. Ligna verò quòd supernatent, res penes aërem inclusum est. Plurimum enim aeris in lignorum poris continetur, cujus operâ super undas feruntur ipsa. Imò, idem quibusdam contingit lapidibus, Pumex enim natat, non secus ac homo sub axillis vesicas spiritu plenas habens.

II. *An Lapis fieri possit gravior seipso?*

Aff. Pumex enim cum conteritur minutissimè, gravior fit seipso integro. Aër enim, qui antea in poris contine-

batur, & causa levitas erat, exprimitur. Hinc minutissimæ pumicis particulæ in aquam projectæ supernatare nequeunt.

AXIOMATA.

I. Lapidem non facit color.

Hec enim accidens est, ille substantia. Et cur in fontibus frigidis generentur lapides, si autorum haberent, calorem? Imò latus sunt, in quibus ligna, ossa, & alia injecta in lapides mutantur, ubi dubie procul calori res ista adscribenda non est.

II. Lapidem non facit frigus.

Nam & hoc accidens est, ille substantia. Neque etiam locum naturalem frigidum saltem agnoscit lapis. Generantur lapides in corpore hominis vivi, in capite, in arteriis, in ipso quoque corde. Ubi certè frigoris opera produci nequeunt.

**III. Lapidem non facit exsiccatio
humidi.**

in

In locis enim tatis humidis sœpè
formatur. in hominis nempè vesica &
renibus. In lacubus & fontibus, ubi
perpetui madores ac humores.

IV. Magnes trahit ferrum.

Vi non manifesta, sed. occulta.
Simile amat simile, horret dissimile.
Simile ferrum magneti, unde amat u-
nionem.

CAPUT VI.

De

G E M M I S.

PRÆCEPTA.

I.

Gemmae sunt mineralia puris-
sima & pretiosissima, durissi-
ma ac pellucida, operationibus
valdè nobilibus prædita.

II. Suntque plurimæ, Adamas
Demant/Sapphyro Sapphir/
Smaragdus Schmaragd/Ru-
binus

binus Rubin/ Turcois Luv-
cis/ &c.

QVÆSTIONES.

I. *Quenam præcipua bona gemmae nota
sint?*

Resp. Ut dura sit ac pellucida. Summus enim in istis nitor & durities indomita. Hinc adulteria gemmarum conspicua. Vitrum enim variis coloribus tingunt, arteq; ita expolunt, ut visu à veris gemmis facile discerni nequeat. Ast duritiem tantam cum vitrum non habeat, gemmae vitreae limam sentiunt, verae limae resistunt. Vitreae etiam leviores, verae graviores: Vitreae tepidiores, verae frigidiores existunt.

II. *An Adamas hirci sanguine domari
queat?*

Resp. Plinius & alii cum ipso, Adamantis duritiem inenarrabilem calido

de hirci sanguine superari ajunt. At magnam quidem adamantis duri-
tiam esse novimus; malleo tamen ab auri-
fabris in scobem eum redigi, constat.
Sanguis hircinus non propriâ, sed ali-
enâ potestate eum solvit. Hircus nem-
pe cum herbas devoravit solutivas,
sanguis hircinus solvit adamantem.

AXIOMATA.

I. In gemmis in arctum naturæ
coacta majestas est.

Minima enim hæc corpora e-
lephantorum humeros taurorumque
colla superant longè, materiæ purita-
te, colorum suavitate, virtutumque va-
rietate.

II. Adamas hostis Magnetis est.

Vires enim huic auferit, adeò ut fer-
rum amplius trahere nesciat. Rectè
Nollius ait: Huic lapillo (adamanti)
Natura rerum omnium parens tale
cum

cum magnete diffidium ingenuit, ut illo praesente omnem vim tractricem à Magnete direptam planè conspicias. Quin magis tractum ab hoc ferrum feroci quadam vi ab admoto adamante revelli cernere est.

CAPUT III.

De
**METALLIS IN SPECIE
 SIC DICTIS.**

PRÆCEPTA.

I.

Metalla sunt mineralia fusilia, & in longum latumq; ductilia, usibus humanis maximè accommoda.

II. Suntq; aurum, argentum, cuprum, ferrum, stannum & plumbum, ☉ ♀ ♂ ♀ ♀ ♀.

QVÆ

 QVÆSTIONES.

*I. Cur montium frigidiorum penitioribus
partibus metallorum delectetur
natura?*

Resp. Quia spiritus metallici his-
ce velut carceribus arctius concludun-
tur. Ubi verò porta patet, prorumpunt,
ac citius dissipantur, quàm con-
gregati & conglobati queant.

*II. An Chymici verum producere que-
ant aurum?*

Aff. Reclamare enim experien-
tiæ & ratiunculis imperitorum confi-
dere, nefas est. Produxere aurum Phar-
macopola Tarvisinus coram senatu
Veneto, Alexander Sidonus Scotus,
Anselmus Boëthius, Edoardus Kel-
lejus Anglus, Thurneisserus, Arnoldus
de Villâ Nova, Raymundus Lullius, &
alii. Unde Bartholinus scribit: Me-
talla varia in aurum transmutari pos-
se, mirum est, peritiores negare. Vi-
di,

di Florentiæ inter res pretiosas Ducis Florentini clavum continuum, cuius *13.* media pars aurum erat, media ferrum: aurum, quousque tincturæ immersus erat. Transmutatus dicebatur olim à Thurneuffero. Vidi frustum plumbi in aurum mutati Basileæ apud Zwingerum, qui propriis oculis transmutationem ab Alexandro Sidonio Scoto factam viderat Basileæ, quodidem Scotus Colonia & passim alibi præstitit.

235.

III. An aurum reddi possit potabile?

Aff Sensum enim dimittere in iis, quæ sensibus manifesta sunt, & rationem quærere, infirmitas intellectus est. Reddunt sanè hoc Chymici fluidum, & nunc sub forma olei, nunc mellis, nunc pulveris exhibent. Nostrum enim aurum crassum extrinsecus fixum est, intrinsecus volatile.

AXI.

 AXIOMATA.

I. Aurum cunctis metallis se miscet.

Ubicunq; ferè deprehenditur, cum aliis metallis conjunctum est, sine quibus etiam se multiplicare nequit. Nihil tamen perfectionis ab iis recipit, cum virtus non ascendat, sed descendat. NB

II. Aurum cor confortat.

Non quidem crudum & crassum sed in spiritualement & volatilem naturam redactum. Cum enim compactissima & firmissima sit substantia, arte in suas resolvendum est atomos.

III. Aurum igne probatur.

Igne quidem funditur aurum, sed nihil de sua deperdit magnitudine, nihil de nitore. Et quò sæpiùs ac diutiùs in magno etiam camino arserit, eò præstantius & preciosius evadit.

IV. Aurum malleo extenditur.

Mol.

Molle quidem est, sed non fragile. Hinc adeò extendi potest, ut ejus unica uncia in bracteas diducta, decem terræ jugera tegere queat. Communiter in fila ac folia tenuatur, interdum cum lana bombycina, interdum sine lanâ.

CAPUT IIX.

De

MINERALIBUS MEDIIS.

PRÆCEPTA.

I.

Mineralia media sunt, quæ mediæ naturæ inter lapides, gemmas, & metalla in specie dicta sunt.

II. Et sunt species terræ, salis, sulphuris, ac bituminis.

III. Terræ species sunt, argilla
Thon/ marga Steinmarck/
cre-

creta Kreide / rubrica Röttel /
ochra Berggeel / calx Kalck /
terra Lemnia gesiegelte und
gemeine Türckische Erde / ter-
ra Armenia Armenier Bolus,
Gypsum Gips / oder Spar-
kalck / &c.

IV. Salis species sunt, sal commu-
nis Salz / nitrum Salpe-
ter / alumen Alaun / chalcan-
thum , Kupfferwasser oder
Schuster schwärze / &c.

V. Sulphuris species sunt, sul-
phur commune unser gemei-
ner Schwefel / ar senicum
Rattenpulver oder Mäuse-
gift / antimonium s. stibium
Spießglas / sanda racha
Bergröthe oder Menning /
auri pigmentū Operment / &c.

IV.

VL. Species bituminis sunt, cespites bituminosi Torff / naphtha, petroleum, &c.

QVÆSTIONES.

I. *Cur calx aquæ adspersione accendatur?*

Resp. In calce non parum latitat ignis, non secus ac in cineribus. Calx enim velut cinis lapidis est. Unde & Scaliger inquit: Calx est lapis mortuus. Cùm ergò aqua isti adfunditur, igniculi sese conjungunt, & sub specie flammæ exiliunt. Hinc aqua postmodum aspersâ nulla fit incensio, imò nullus excitatur stridor. Abiit enim ignis, qui strepitum flammamq; dare poterat.

II. *An nitrum inflammetur?*

Resp. Chymici mirantur, quâ fiat, quòd nitrum species salis tantâ promptitudine atq; vi concipiat flammam.
Sed

Sed præclare istis respondet Clariss. Sennertus inqviens: Puto nitrum non accendi, sed potius ab igne aufugere, illumqve maximè aduersari, & contra ignem nitrum. Etenim si ferro candenti injiciatur nitrum, non accenditur, sed saltem exhalat. Si verò in carbonem ignitum injicitur, tum flamma eqvidem excitatur, non quòd nitrum inflammetur, sed quòd ignis, cum in carbone nitrum sese penitus insinuet, nitrum fugit.

AXIOMATA.

I. Terra non omnibus una.

Metallica terra est, quâ de jam nôster sermo. Ubi tanta varietas, quanta locorum est. Prostat enim terra pingvis, spissa, dura, rara, mollis. Figuli pingvem, spissam & mediocrem amant. Ex his enim finguntur opera, quæ vis ignium tam facile non frangit

git. Hinc in fornace uruntur ligna; salvis & illæsis tegulis. Et plastræ, quæ lateres formant, terras pingves ac raras eligunt. Hæ enim non tantum minus ponderosæ sunt, sed & facile cohærescunt. Pictores terras macras, molles & siccas expetunt. Quales sunt, rubrica, ochra, creta alba, viridis, nigra &c.

II. Naphtharapax ignis est.

E longinquo enim ad se ignem trahit & inflammatur. Unde corpus hæc perunctum, igni si quodammodo admoveatur, incenditur. Alexandrum puero in balneo affudisse naphtham, & non procul posuisse lucernam, scribunt. Hinc adeò flagrasse puerum, ut interiisset, nisi ministri aquam affundentes ignem extinxissent.

LIBER SEPTIMUS.

De

PLANTIS.

CAPUT I.

De

ANIMATO IN GENERE.

PRÆCEPTA.

I.

Animatum est corpus natura-
le mixtum, animâ & corpore
organico constans, vitaqve præ-
ditum.

II. Dividitur in partes & species.

III. Partes sunt, Anima & Corpus
Organicum.

IV. Anima est forma corporis na-
turalis organici, vitam & ope-
rationes vitales isti communi-
cans.

K

V. Est-

V. Estq; vel Vegetativa, vel Sensitiva, vel Rationalis.

VI. Corpus organicum est materia eleganter & artificiosè in varia organa ad certas operationes edendas divisa.

VII. Estq; vel Plantarum, vel Brutorum, vel Hominis.

VIII. Species Animati tres sunt: Planta, Brutum, Homo.

QVÆSTIONES.

I. *An anima actu sit in semine?*

Aff. Ubi enim operationes animæ sunt, ibi etiam facultates sunt, & ubi facultates, ibi anima ipsa. Jam quid est, quod semina illa vivificat? Quid est, quod tantum partium apparatus efformat?

II. *An una unius speciei anima sit?*

Distingvitur. Speciem non nisi una anima, formæ specificæ instar, consti-

SYNOPSIS PHYSICA. 219

constituit. Speciem hominis anima humana, speciem canis anima canina. Cum verò formæ formis subordinentur, sæpè animæ plures in uno dantur corpore. Et quid formæ præstent Accidentariæ, non later eruditos.

A X I O M A T A.

I. Animatum in animato præstantius.

Præstantiorem enim habet formam, præstantiores affectiones, præstantiores operationes. Hinc muscam Soli præferre nil dubitamus.

II. Anima in corpore Organico est.

Subiectum nempe Informationis animæ corpus est organicum. Reliquæ formæ in corpore organico hærent. Intelligendum verò hoc de animæ actu formali simpliciter ita dicto.

C A P. II.

DE VITA ET MORTE.

K 2

P R A E

PRÆCEPTA.

I.

A Ita est actus corporis naturalis viventis, esse & operationes vitales huic communicans.

II. Mors est privatio vitæ in vivente à solutione animæ & corporis facta.

III. Dividitur in Naturalem & Violentam.

IV. Naturalis est, quæ à naturali humidi resolutione oritur.

V. Violenta est, quæ à præternaturali & externâ quâdam violentiâ oritur.

QVÆSTIONES.

I. *Quodnam animæ & corporis vinculum sit?*

Resp. Calidum Innatum cum Influyente. Vel, Spiritus In situs & influens

ens, Rectè ergò sese habentibus hī-
sce, vita perdurat, vivumq̄ve perstat. Al-
terutro verò horum sublato, vita ipsa
tollitur, vivumq̄ve perit. Perit quidem
morte naturali, sublato calido innato
seu spiritu insito. Perit morte violen-
tâ, sublato calido aut spiritu influ-
ente.

II. Quotnam dentur ætates?

Resp. Vitam certis includunt ter-
minis ætatis. Has in omni observare
licet vivente. Inprimis tamen in po-
tissimo animato, homine scilicet sex
sunt conspicuæ. Infantia, Pueritia, A-
dolescentia, Juventus, Virilitas & Se-
nectus. Infantia ad septimum sese ex-
tendit annum, pueritia ad decimum
quartum, adolescentia ad vigesimum
quintum, virilitas ad quinquagesi-
mum, senectus ad ultimum usque vi-
tæ terminum.

AXIOMATA.

I. Calidum Innatum substantia,
non accidens est?

Non enim hic de calore, sed de substantia aliquâ, cui nunc plus, nunc minus caloris jungitur, res est. Hinc turrius nomine Spiritus, quàm Calidi venit.

II. Calidum Innatum substantiam corpoream notat.

Constat enim corpore gemino, quorum unum absument, alterum absumitur Hoc humidum radicale, illud calidum in specie dicitur.

III. Calidum Innatum viventibus proprium est.

Animæ enim & corporis vinculum est, unde inanimatis denegatum fuit Neque etiam spiritus quivis calidi innati gaudet titulo, cum aliud spiritus in genere, aliud spiritus insitus sit.

IV. CA.

IV. Calidum Innatum ab igne & cæteris Elementis specie differt.

Habet enim operationes & conditiones longè præstantiores. Purgat, comedit, & alios ejusmodi effectus, elementis minimè competentes edit. Neque etiam à frigore elementari patitur, sed cum gelu summum, salum præstat.

V. Calidum Innatum instauratur per Influens.

Hinc omnes alimentorum usus, suoq; indigent pabulo plantæ, bruta, homines. Quo dato, vigent florentq; negato, flaccescunt, & intereunt.

IV. Calidum Innatum licet instauratur, tandem tamen deficit, mortemq; inducit.

Quod enim per influens accessit, eo quod decessit deterius est. Sicut aqua

oleo & vino dispar est, ita calidum influens calido innato. Hinc tandem viventi omni moriendi imposita necessitas.

CAPUT III.

PLANTIS IN GENERE.

PRÆCEPTA.

I.

PLanta est corpus animatum vegetans.

II. Dividitur in Partes & Species.

III. Partes sunt Anima & corpus.

IV. Species sunt Herbae & Arbores.

QVÆSTIONES

I. An Plantis insit sexus?

Neg. Tradunt in plantarum speciebus non minus quàm inter animalia esse mares, esse fœminas. Hinc

ma-

maris foecundam vim foeminae alias sterili, fune, odore, pulvere, & aliis modis, communicari existimant. Verum a naturali Sympathia ad sexum argumentari non licet. Et ubi membra ad sexum necessaria?

II. An species aliqua plantarum perierit, cum tempore hyberno nulla amplius superest rosa?

Neg. Posito omnes rosas interiisse, & ratione existentiae, & ratione essentiae: tamen interitu isto nulla plantarum species interiit. Ratio, quia rosa non est planta, sed plantae flos.

AXIOMATA.

I. Planta vivit.

Nutritur enim, augetur, & ex semine sibi simile gignit. Sic ruta suum habet nutrimentum, augmentum, & semen quo se multiplicat.

II. Planta moritur.

K s

Qvæ

Quædam citius, quædam tardius.
Prout humidum radicale aut fortius
aut debilius habet. Non secus ac ipsa
animalia, nunc citius, nunc tardius se-
nescunt & intereunt.

CAPUT IV.

*De*ANIMA PLANTARUM
PRÆCEPTA.

I.

A Nima plantarum est forma,
quâ nutriuntur, augentur, &
sibi simile gignunt.

II. Facultates ejus sunt: Altrix,
Auctrix, & Procreatrix.

III. Altrix est facultas animæ ve-
getativæ, quâ id quod quoti-
diè de partibus viventis effluit,
ex alimento extrinsecus as-
sumto, & in substantiam corpo-
ris viventis converso, restau-
ratur.

IV.

IV. Auctrix est facultas animæ vegetativæ, quâ vivens ex assumpto alimento secundum omnes dimensiones extenditur, justamque quantitatem consequitur, ad edendas operationes debitas.

V. Procreatrix est facultas animæ vegetativæ, quâ vivens ex semine prolifico sibi simile gignit.

QVÆSTIONES

I. *An Anima Vegetativa sit Plantæ alicujus forma specifica?*

Neg. Omnes enim Plantæ animam vegetativam habent, & nihilominus specie inter se differunt. Alia igitur in istis erit forma specifica. Nempe alia quoad speciem anima est in quercu, alia in salice, alia in abiete, alia in violâ, alia in eryngio, &c.

II. An vivens, quamdiu vivit, nutriatur?

Aff. Calor enim natus subinde aliquid absumit de humidi radicalis substantia. Quotidiè ergò substantiæ istius fieri debet restauratio.

III. Cum viventia semper alantur, cur non etiam semper au-geantur?

Resp. Fit hoc, quia adest finis auctiois. Præsente ergò fine, cessat operatio. Fit etiam, quia abest aptitudo subjecti. Receptivum enim recipit ad modum non imprimentis, sed receptivitatis suæ.

AXIOMATA.

I. Anima vegetativa infimus animæ gradus est.

Hæc enim proximè inanimatorum accedit formas. Hæc quod habet, id omne & cæteræ habent.

II. Ani-

II. Anima vegetativa omnibus viventibus inest.

Non enim plantæ saltem, sed & bruta ac homines nutriuntur, augentur, ac sibi simile gignunt. Inest verò propter modum formæ genericæ, non specificæ.

CAPUT V.

De

CORPORE PLANTARUM.

PRÆCEPTA.

I.

Plantarum corpus est subjectum animæ vegetativæ, eleganter & artificiosè ad varias operationes edendas constructum.

II. Constat fibris, venis, nervis, carne, radice, caule, ramis, foliis, floribus, &c.

K 7

QVÆ.

 QVÆSTIONES.

I. An Plantæ à terrâ nascantur sponte absq; ullo semine?

Neg. Effectus enim specificus & determinatus ab universali & indeterminatâ causâ provenire nequit.

II. An in Plantarum germinatione ad calorem Externum, an verò ad Internum, respiciendum sit?

Resp. Ad utrumque. Calor enim Solis Internum excitare debet, unde verno, non hyberno tempore fit germinatio. Pro caloris verò interni vel debilitate vel fortitudine germinatio nunc citius, nunc tardius promovetur. Calorem autem hîc ita attendamus, ut causas principales non negligamus.

AXIOMATA.

I. Herbæ & arbores venas habent & brachia.

Non

Non Univoce, sed Analogicè. Datur in iis aliquid, quod succum attrahit, & cæteris partibus communicat, venis animalium quàm maximè respondens. Dantur etiam robustiores rami, velut valida brachia extantes.

II. Semen plantarum fructibus annumerandum.

Non sanè excrementum est semen. Quippè quod mirâ arte & industria à Naturâ peculiariter elaboratur. Ad fructum potius spectat, qui nunc semen nudum, nunc semen carne stipatum.

CAPUT V.
DE HERBIS
PRÆCEPTA.

I.

Herba est planta humilis, statim à radice folia fundens.

i. Estq, vel alimentosa, vel medica-

dicamentosa, vel mixta, vel
neutra,

III. Alimentosa, quæ gratum ho-
mini suppeditat cibum. Ut tri-
ticum Weizen / zea Spelz /
oder S. Peterstorn / secale
Korn / hordeum Gersten / ory-
za Reiß / milium Hirse / avena
Haber / frumentum saraceni-
cum Heideforn / fabæ Bo-
nen / pisa Erbis / &c.

IV. Medicamentosa, quæ gratum
homini suppeditat medica-
mentum. Ut absynthium Ber-
mut / salvia Salben / ruta Rau-
te / hysopus Eisop / sinapi
Senff / piper Pfeffer / papaver
Mohn / sempervivum Hauß-
wurß / &c.

V. Mixta, quæ gratum homini
sup-

suppeditat, cum alimentum,
tum medicamentum. Ut, pe-
trofelinum Petersilien / cepa
Zwiebel / alliū Knoblauch / &c.

VI. Neutra. quæ homini nec ali-
mentum, nec medicamentum
suppeditat. Ut gramen vul-
gare, herbæque solo odore, &
colore nos oblectantes. Aco-
nitum etiam, brionia, cicuta,
esula, napellus, veratrum, &
quæcunqve naturæ nostræ ini-
micæ sunt.

QVÆSTIONES.

I. *Quid Herbarum calor potentialis,
seu virtualis sit?*

Resp. Quamvis vulgò quædam
herbas potentiâ, quædam actu calidas
faciant: tamen utrobique calor actu
in-

includitur. Hoc saltem datur discriminis, quod actu calidæ calorem primo nobis ostendent contactu, potestate verò calorem habeant latentem. Sic piper omninò caliditatem in se habet, quæ non sentitur contactu.

II. An opium sit frigidum?

Resp. E papaveris nigri capitulis succus effluit, quem opium vocant. Hoc frigidum dicunt communiter, unde frigiditate summâ summum & stuporem inferre censent. Verùm calidum potiùs, quàm frigidum est. Amarum enim & acre est, linguam vellicat, fauces intendit, sitim excitat, & facilè inflammatur. Stuporem verò ac somnum infert, non tam qualitate manifestâ, quàm occultâ,

AXIOMATA.

I. Natura terræ cuiq; herbas exhibet necessarias.

Provi-

Provida enim illa mater cumulatè
 cunctis prospexit terris, nec unquam
 deficere voluit in necessariis. Rectè
 scripsere moderni: Stultum esse ex
 Indiâ petere, quod domi habemus,
 existimantes propriam neque terram,
 neque aquam sufficere, patriisque pe-
 regrina, frugalibus sumptuosa, acqvi-
 situ facilibus difficilia, & ab ipsis us-
 que terræ finibus importata præfe-
 rentes.

II. Nomina herbarum nosse par- vi momenti res est.

Superbiunt multi, quod herbarum
 nomina faciesque externas norint.
 At certè eruditio in hisce nulla est. Sci-
 entia ex causis oritur. Hæ indagandæ,
 hæ pensitandæ veniunt. Nomina
 illa nuda & facies externas vel vetulæ
 norint, Docti verò est, virtutes &
 effectus deducere è causis.

CAP.

CAPUT VII.

De

ARBORIBUS.

PRÆCEPTA.

I.

ARbor est planta altius asurgens, à radice truncum crassum & lignosum fundens.

II. Estq̄ve vel Frugifera vel infrugifera.

III. Frugifera, quæ fructum edit. Ut, pomus *Apffelbaum* / *Pyrus* *Birbaum* / *malus cotonea* *Quittenbaum* / *malus punica* *Granatbaum* / *malus persica* *Pfirsichbaum* / *citrus Citronenbaum* / &c.

IV. Infrugifera est, quæ fructum nullum edit. Ut salix *Weidenbaum* / *betula Birken* / *cedrus*

Geo

Cederbaum / buxus Buchs-
baum / tilia Linden / populus
Aспен / &c.

QVÆSTIONES.

I. *An frutex arbor sit?*

Resp. Species plantarum vulgò faciunt herbam, fruticem & arborem, At frutex quid nisi arbor parva? Frutices sunt, vitis, juniperus, sambucus, spinus, rubus &c. Quæ sanè ab arbore non differunt nisi magnitudine. Majus autem & minus non mutant speciem. Unde & in Sacrà Scriptura duæ saltem plantarum numerantur species. Dixit DOMINUS: Germinet terra germen, herbam producentem semen, arborem fructiferam. Item: produxit terra germen herbam producentem semen juxta speciem suam, & arborem facientem fructum.

II. *An*

II. *An in Scotia anseres nascan-
tur in arboribus?*

Resp. Id vulgò creditur. At sim-
plex nimis, anseres ex lignis, pomis,
aut aqvis nasci qui putat. Rectissime
scripsit Franzius: Nunquam firmiter
potui persuaderi, anseres ex arboribus
nasci. Tandem incidi in historiam
navigationum Hollandicarum, versus
novam Chinam susceptarum, ibiqve,
deprehendi ad annum 1797 & quidem
ad 11. Julii è regione Insulæ Crucis ab
Hollandis reperta fuisse ova illorum
anserum, quos anseres decepti credidi-
mus nasci ex arboribus. Quod histo-
ricum testimonium omnibus gratis-
simum esse debet, & ansam simul præ-
bere ad veritatem in aliis quoque ma-
teriis exactius investigandam.

A X I O M A T A.

I. Arbor bona bonos fert fructus,
mala malos ,

Si-

Simile enim à simili. Bonum à bono, malum à malo. Bonæ arbores sunt pomus, pyrus citrus. Hinc fructus boni, poma, pyra, mala citria, Mala arbor taxus, cujus umbra etiam noxia.

II. Arbores magnitudine superant animalia cuncta.

Mirantur homines vastitatem elephantorum & immanium cetorum. At mira magis magnitudo arborum. Quercum vidit Scaliger longitudine pedum circiter quinque & septuaginta. In Indiâ tam altè ascendere fastigiis suis arbores, ut sagittis superari non possint, autor est Plinius. Tiliam vidit Hartungus, tam prodigiosa brachiorum vastitate, ut columnis lapideis undiqve subjectis fulcienda fuerit, mensæq; septuaginta pro convivio sub illâ statui potuerint.

LIBER

LIBER OCTAVUS.

De

BRUTIS.

CAPUT I.

De

ANIMALIBUS IN GE-
NERE.

I.

Animal est corpus animatum
sentiens.

II. Dividitur in Partes & Species.

III. Partes sunt anima sensitiva, &
corpus organicum.

IV. Species sunt Rationale & Ir-
rationale sive brutum & ho-
mo.

QVÆSTIONES.

I. *An animal non ad bruta tantum,
sed ad ipsum etiam hominem
spectet?*

Resp.

Resp. Negat hoc, inter brutum & animal distingvere qui nescit. Verè homo animal est, quia corpus animatum sentiens est. Brutum verò homo non est, quia ratione non gaudet.

II. Quid irrationale hinc præstet?

Resp. Est terminus negativus, sed exprimit rem positivam. Formam nempe animæ rationali oppositam. Hinc qui irrationale dicit, nil nisi bestiale & brutale dicit.

AXIOMATA.

I. Animal omne præstantius plantâ est.

Præstantiorem enim habet formam, præstantiores affectiones, præstantiores operationes. Musca ipsa hic nobilior pomis, pyris.

II. Animal minimum dignitate non cedit maximo.

Miratur quidem vulgus taurorum

L

colla

colla, elephantorum robora, & leonum jubas. Sed vel apicula & formica habent, quibus mentis nostræ aciem in se convertant.

CAPUT III.

De

BRUTO IN GENERE,

PRÆCEPTA.

I.

BRutum est animal irrationale.

II. Dividitur in Volatile, Natatile, Gresile & Reptile.

QVÆSTIONES

I. *An brutis competat prudentia?*

Resp. Distingvimus inter prudentiam Naturalem, Animalem & Rationalem. Hanc, quæ est habitus cum recta ratione activus, brutis negamus, icèt & illam & istam iis concedamus. Prudenter enim hirundo facit nidum,

pru-

prudenter formica colligit grana, prudenter aranea struit telam, & quis nescit prudentiam naturæ universæ?

II. An brutis competat Syllogizatio?

Neg. De vulpe dicunt, quòd aquæ glaciatae admoveat aurem, ac talem formet Soritem: Quod strepit, movetur: Quod movetur, fixum non est: Quod fixum non est, cedit: Ergò submergar, si hâc ire pergam. Verùm Syllogismus hic non vulpis est, sed hominis, qui sic collecturus esset, si similis ei obveniret casus.

AXIOMATA.

I. Brutum sortis non unius.

Aliud Sangvineum, aliud Exangve.
 Aliud Oviparum, aliud Viviparum. Aliud Terrestre, aliud Aqveum, aliud Aëreum, aliud *αιμφορισον*. Aliud Sociabile, aliud Solivagum. Aliud Domesticum, aliud Sylvestre.

L 2

II. Brut

II. Brutorum non est velle.

Voluntas enim sequitur rationem.
Ratio quia denegata brutis, etiam ra-
tionis denegatum consequens.

CAPUT III.

De

ANIMA SENSITIVA.

P RÆCEPTA.

I.

Anima sensitiva est forma bru-
torum, quæ objecta sensibilia
cognoscunt, salutaria appetunt,
& loco moventur.

II. Facultas ejus sunt, Cogno-
scens, Appetens, & Locomo-
vens.

III. Cognoscens est, quæ median-
te certo corporis organo obje-
cta sensibilia percipit.

IV. Comprehendit hæc Sensus
Externos & Internos.

V.

V. Sensus externi sunt, qui speciem ab objecto immediatè productam, in exteriori corpore parte recipiunt, & ad internos sensus transmittunt.

VI. Et sunt quinque: Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus.

VII. Visus est sensus externus, oculi beneficio lucis & coloris species recipiens & cognoscens.

VIII. Auditus est sensus externus, auris beneficio soni species recipiens & cognoscens.

IX. Olfactus est sensus externus, nasi & processuum mamillariorum beneficio odoris species recipiens & cognoscens.

X. Gustus est sensus externus, lin-

gvæ beneficio saporis species
recipiens & cognoscens.

XI. Tactus est sensus externus,
membranæ beneficio qualita-
tum tactilium species recipiens
& cognoscens.

XII. Sensus Interni sunt, qui spe-
ciem per Sensus Externos alla-
tam in cranio recipiunt, cen-
sent & dijudicant.

XIII. Suntque duo, Sensus Com-
munis & Phantasia.

XIV. Sensus communis est sensus
internus, species sensuum Ex-
ternorum recipiens, & sensibi-
lia propria à se invicem & com-
munibus discernens.

XV. Phantasia est sensus intere-
nus species à sensu communi
ad se delatas, diutiùs reti-
nens.

nens, & diligentius exami-
nans.

XVI. Famula & Ministra phanta-
siæ est memoria, quæ species
receptas & dijudicatas retinet
& conservat.

XVII. Accidunt Sensibus Somnus
& Vigilia.

XIIX. Somnus est privatio actio-
num Sensus Communis, sensu-
uumq; Externorum & Facul-
tatis locomotivæ à spirituum
animalium in organis negatio-
ne ob salutem animalium fa-
cta.

XIX. Vigilia est operatio Sensus
Communis, & Sensuum Ex-
ternorum, facultatisqve loco-
motivæ, à spirituum anima-
lium

lium in organis præsentia exci-
tata.

XX. Facultas Appetens est, se-
cundum quam animal ad bo-
num sensu perceptum incli-
nat. Dicitur Appetitus Sensiti-
vus, quem insequuntur varii
affectus, Lætitia, Tristitia, Spes,
Metus, Amor, Ira, Odium;
&c:

XXI. Facultas Locomovens est,
secundum quam animal fer-
tur de loco in locum, ad obje-
ctum vel prosequendum, vel
fugiendum.

QVÆSTIONES.

I. *An Anima Sensitiva sit alicujus Bruti
forma specifica?*

Neg. Bruta enim quoad animam
hanc conveniunt, & tamen specie in-
ter

ter se differunt: Ergò ob aliam quãdam formam specificam.

II. Cur DEus inter diem & noctem interjecerit crepusculum?

Resp. Quia omnis repentina mutatio noxia. Dionysius, tyrannus super carcerem tenebricosum domum extruxit splendidissimam, ut homines è carcere libertatos subdolè excæcaret.

III. Cur lædantur oculi iter facientium per loca nivosa?

Resp. Quia excellens sensibile sensorium lædit. Sic læduntur aures vehementiore bombardæ sonitu. Læditur lingua absinthii vel aloës amaro. Læduntur nares a sæ fœtore.

IV. Cur memoriam è Sensuum numero excludimus?

Resp. Quia non sentit. Non autem sentit, quia non cognoscit. Non

210 SYNOPSIS PHYSICA.

cognoscit, quia aliàs semper actu cognosceremus res, quæ in memoria hærent.

AXIOMATA.

I. Sensus circa proprium objectum non errat.

Si scilicet tria hæc adsunt requisita:

1. justa distantia. 2. medium legitimum.

3. organum rectè dispositum.

II. Sensibile excellens lædit sensum.

Ob nimiam enim vehementiam nocet organo. Sic lædit splendor Solis, sonus bombardæ, calor ignis.

CAPUT IV.

De

CORPORE BRUTORUM.

PRÆCEPTA.

I.

Corpus brutorum est subiectum animæ sensitivæ elegant-

gantur & artificiosè ad varias operationes edendas constructum.

II. Constat partibus variis, ossibus, carnibus, membranis, nervis, venis, arteriis, cute, pinguedine, ventriculo, hepate, corde, &c.

QVÆSTIONES.

I. *An pili sint partes corporis propriè dictæ?*

Aff. Communiter negant, sed frustra. Pili enim non secus ac aliæ corporis partes in utero formantur, nutriuntur, augentur.

II. *An unguës sint partes corporis propriè dictæ?*

Aff. Communiter & hoc negant, sed malè. Non minùs enim quàm aliæ partes etiam unguës sapientissimè

mè in utero formantur, nutriuntur & augentur.

AXIOMATA.

I. Cor partium omnium princeps est.

In hoc enim ceu propriâ sede habitat anima. Ex hoc spiritus funduntur vitales. Hoc duplicato, duplex; triplicato, triplex oritur animal.

II. Non omnis pars organum est.

Plura enim organi includit ratio, quàm partis. Adest in organo actio propria, adest conformatio certa, quibus multæ destituuntur partes. Sic humores oculorum partes sunt, nec tamen propriam edunt actionem, nec propriam habent conformationem.

CAP.

CAPUT V.
DE AVIBUS.
PRÆCEPTA.

I.

A Vis est brutum volans, sanguineum, rostratum & pennatū.
 II. Estque aquila der Adler/ Accipiter der Habicht/ vultur der Geyer/ struthiocamelus der Strauß/ grus der Kranich/ ciconia der Storch/ anser eine Gans/ cygnus ein Schwan/ pavo ein Pfaw/ gallus ein Hahn/ urogallo ein Uwerhan gallopavo ein Kalekuttischer Hahn/ &c.

QVÆSTIONES.

I. Cuy aves nullam reddant urinam?
 L. 7. Resp.

Resp. Quia vesicâ carent. Hinc quicquid serosi humoris in toto habetur corpore, id omne in corpus distribuitur. Unde & mollem habent alvum, licet siccis nutriantur seminibus.

II. Cur aves frigore lædantur, licet plurimis sint tectæ?

Resp. Boves, equi, aliaque gressilia plumis carentia, minus læduntur frigore, quam aves plumis tectæ. Quod imprimis fit ob cutis diversitatem. Pecorum enim cutis densissima: avium verò rarior ac tenuior est.

AXIOMATA.

I. Aves ex ovis fiunt.

Ovalla non Subventanea, sed Prolifica sunt. Talia nempe, quæ & maris & foeminae constant semine. Ubi mirâ naturæ industriâ, brevi tempore, tantus pullorum excludi potest

potest numerus, quantum vix tempore
longo gestatione uteri.

II. Ovis incubant foemellæ.

His enim Natura exclusionem pul-
lorum quam maximè commendavit.
Sunt tamen inter aves nonnullæ, quæ
fovendi tempora partiuntur. Inter
passeres non foemellæ saltem, sed ipsi
quoque mares incubant ovis.

CAPUT VI.

De

PISCIBUS.

PRÆCEPTA

I.

Piscis est brutum natans; bran-
chiis, pinnis, spinis, ac vesicâ
constans.

II. Estq; delphinus Meerschwein/
balæna Wallfisch / phoca
Meer

Meerfalsch / silurus, Wals sturio
 Stör / canis Seehund /
 salmo Lachs / lampreta Lam-
 prete / angvilla Wal / loligo
 Blacsfisch / &c.

QVÆSTIONES

I. An pisces respirent?

Aff. Ore enim & naribus attra-
 hunt aquam, nec unquam extra aquas
 diu durant. Aère opus non habent,
 quippe quo nulla fit respiratio.

II. Quomodo pisces generentur?

Resp. Non beneficio putredinis,
 limi, cœni aut etiam spumæ marinæ.
 Quid enim putredo, quid lutum, aut
 cœnum, aut spuma, ad pisces? Semina
 adsunt, quibus mediantibus, ut o-
 mnis, ita & piscium perficitur genera-
 tio.

AXIO.

AXIOMATA.

I. Pisces branchiis constant.

Branchiæ partes sunt juxta cervicem follium more hiantes. His respirant pisces, non secus ac gressilia pulmonibus.

II. Pisces pinnas habent.

Pinnae pennis & alis avium respondent. Nunc in dorso, nunc in ventre, nunc in cauda, nunc alibi hærent. Ut ergo pennis in aere volant aves, sic pinnis in aqua natant pisces.

CAPUT VIII.

De

QVADRUPEDIBUS.

PRÆCEPTA.

I.

QVadrupes est brutum gressile, caput, collum, dorsum ventrem, pedesq; quatuor habens.

II. Est.

II. Estq; leo Der Löw/ elephas Elephant/ camelus Kameel/ tigris Tiegerthier/ alces Elend/ cervus Hirsch/ caper Bock/ caprea Rehbock/ lupus Wolff/ ursus Bär/&c.

QVÆSTIONES.

I. *An animalia timida magno præditæ sint corde, fortia parvo?*

Neg. Ad spiritus potiùs quàm ad quantitatem hæc respiciendum. Ubi spiritus multi ac calidi, ibi magna est audacia, licet magnùm sit cor. Ubi spiritus pauci, & calor parvus, ibi magna est timiditas, licet parvum sit cor.

I. *An caro suilla sit optima?*

Neg. Facile enim vertitur in bilem, movet nauseam, tollit appetitum.

tum. A vulneratis etiam, scabie laborantibus, aliaq; ulcera habentibus, non absq; noxâ comeditur.

AXIOMATA.

I. Gresilia nobilitate superant cætera.

Hæc enim quàm proximè ad hominem animalium principem accedunt. Natatilia, volatilia, & reptilia longè minoris sunt dignitatis.

II. Gresilia variarum virtutum simulacra sunt.

In leone animositas, in eqvo generositas, in cane fidelitas, in vulpe calliditas, in aliis virtutes aliæ conspicuæ sunt.

CAP.

CAPUT IIX.

De

SERPENTIBUS.

PRÆCEPTA.

I.

Serpens est brutum reptile, cal-
lidum, venenosum, homini
inprimis infestum.

II. Estque Draco ein Drach/ aspis
eine Otter/ vipera eine Brand-
schlange/ natrix eine Natter/
&c.

QVÆSTIONES

1. *An operarum foemina interficiant
mares, & liberi foeminas?*

Resp. Fabula est ab Experientia
jam dudum explosa. Visa enim fuit
vipera, lambens catulos. Horum er-
gò

gò vita illius mortem non intulit.
 II. *Annatrice morsus pedibus suspendendus?*

Neg. afflicto non addenda afflictio.
 Qui pedibus suspenderetur, duplici sanè afficeretur malo. Alterum à veneno, alterum à suspensione daretur.

AXIOMATA.

I. Nulli amicus serpens.

Cum homine bella gerit assidua, & vel solo aspectu terret fortissimum, quemq; Cum propria ergò præliantur naturâ, in sinu qui alunt serpentes.

II. Ex serpente etiam venit lucrum.

Nihil tam deforme & odiosum, è quo non mens sana sua hauriat comoda. Serpentes autem non venenis saltem, sed & luxationibus resistere notum,

LIBERNONUS

De
H O M I N E.
CAPUT I.

De
H O M I N I S N A T U R A.
P R Æ C E P T A.

I.

HO M O est animal rationa-
le.

II. Dividitur in Animam Ratio-
nalem & Corpus Huma-
num.

Q V Æ S T I O N E S.

I. *Ab tres sint hominis partes, quarum
prima corpus, secunda anima,
tertia spiritus sit?*

Neg. De tertiâ enim hominis
parte

parte, quæ spiritus fit, tacet cùm Scripturæ, tùm Naturæ Liber.

II. *Quomodo Homo dicitur μικρόκοσμος seu parvus mundus?*

Resp. 1. Ratione graduum Entis, quos omnes complectitur. 2. Ratione perfectionum, quas omnes habet. 3. Ratione ordinationis, quâ propter eum omnia sunt. 4. Ratione intellectus, quâ omnia fit. 5. Ratione constitutionis corporis, quâ cum specie quavis peculiarem fovet analogiam.

AXIOMATA.

I. Homo Naturæ miraculum.

Miramur Solis splendorem, ignis calorem, magnetis valorem: at umbra & tenebrae sunt, si cum splendidissimis hominis conferantur dotibus.

II. Ho-

II, Homo ad contemplandum
natus est.

Hæc tessera nostra *Sapiamus*. Om-
nem hic natura offert sinum, supe-
ra, media, infima, cœlum, terram,
maria, & quicquid continetur in hisce.

CAPUT III.

De

ANIMA RATIONALI.

PRÆCEPTA

I.

Anima Rationalis est forma
hominis, quâ est, intelligit, &
vult.

II. Facultates ejus sunt vel Prima-
riæ, vel Secundariæ.

III. Primariæ sunt Intellectus, &
Voluntas.

IV. Intellectus est facultas ani-
mæ

Præstat enim forma superior omne id,
quod solet inferior.

II. *An anima rationalis sit
Spiritus?*

Aff. Habet enim Spirituum affe-
ctiones, tum positivas, tum negativas.
Positivæ sunt, simplicitas, intellectua-
litas, arbitrii libertas, &c. Negativæ,
immutabilitas, indivisibilitas, illocali-
tas, immobilitas, &c.

III. *An anima rationalis sit tota in cor-
pore toto, & tota in qualibet corpo-
ris parte?*

Aff. Ratio, quia spiritus est. Hic
partium expers totus est, ubicunque
est.

AXIOMATA.

I. Anima rationalis immor-
talis est.

Hoc

Hoc nullibi non sacer dicitur co-
dex. Naturæ etiam liber non omni-
nò tacet, cum vel sola cujusvis con-
scientia futura nunc metuat, nunc
speret.

II. Anima rationalis ubique est.

Non re, sed opere. Dic animæ
tuæ, ait Trismegistus, illo abire, & di-
cto citius illic eris: Præcipe ocea-
num tranare, celerrime illic eris: non
ut è loco in locum delata; sed tan-
quam jam ibi existens. Jube, in cœ-
lum evolet, alis non egebit. Neque
nullum ei obstaculum, non Solis ardor,
non æther, non cœli volutatio, non
corpora astrorum: quin omnia per-
vadens ad extremam Naturam pervo-
let, imò & extra eam, si quid extra eam
intueri tibi licet.

CAPUT III.

De

CORPORE HUMANO.

PRÆCEPTA.

Corpus humanum est subje-
ctum animæ rationalis, artifi-
ciosissimè & elegantissimè ad
varias operationes edendas
constructum.

II. Dividitur in Ventres & Ar-
tus.

III. Venter est insignis corporis
cavitas, in quâ viscus aliquod
primarium reconditum est.

IV. Dividitur in Supremum, Me-
dium & infimum

V. Su-

V. Supremus est, in quo cerebrum cum reliquis partibus animalibus suum habet situm. Dicitur Caput.

VI. Medius est, in quo cor cum reliquis partibus vitalibus suum habet situm. Dicitur Thorax.

VII. infimus est, in quo hepar cum reliquis partibus naturalibus suum habet situm. Dicitur in specie Venter, aut abdomen.

VIII. Artus sunt partes extremæ, trunco ramorum instar adnatæ.

IX. Et sunt Manus ac Pedes.

 QVÆSTIONES.

I. *Quidnam forme corpus huma-
num in utero?*

Resp. Anima actu præsens. Tam elegans enim & artificiosum ædificium non casu, non solius caloris operâ, non spirituum impetu, non frigoris virtute, non patris influxu, non matris concursu, sed animæ actu præsentis labore perficitur.

II. *Quomodo differant mas & fœ-
mina?*

Resp. Non essentiali differentiâ sed sexuali. Fœmina enim non minus quàm mas intelligit, vult, loquitur, ridet, &c.

III. *An mares à fœminis superentur
ut à costâ?*

Neg. Opinio hæc risum mo-
vet

vet Anatomicis. Hi enim æquè in ma-
ribus, quàm fœminis regulariter duo-
decim in quovis latere deprehendunt
costas.

AXIOMATA.

I. Corporis humani statura va-
ria.

Legem quidem & hinc observat
Natura, libertatis tamen amans. Un-
de nunc minores, nunc majores: sic-
ut nunc nigros, nunc albos, cernere
licet.

II. Fœmina monstrum non
est.

Creatura enim à Deo est, non minùs
quàm Mas. Natura etiam fœminæ in-
tentionem non minorem, quàm ma-
ris habet. Neque ulla hic occurrit de-
formitas & imperfectio.

ANA.

ANACEPHA-
LÆOSIS.

De
MUNDO.

PRÆCEPTA.

I.

Mundus est compages ordina-
ta, ex omnibus corporibus na-
turalibus coagmentata, à DEO pro-
pter DEUM facta.

II. Dividitur in Superiorem &
Inferiorem.

III. Superior est compages ordi-
nata, è corporibus cœlestibus
coagmentata.

IV. inferior est compages ordina-
ta, è corporibus subcœlestibus
coagmentata.

QVÆ.

QVÆSTIONES.

I. *Cur hic tandem de mundo agatur?*

Resp. Omnia nunc acta sunt. Acta est pars Generalis: acta Pars Specialis. Saltem Epilogi loco species corporis naturalis nunc colliguntur & conjunguntur, è quibus unum totum pronascitur, quod Mundus salutatur.

II. *An Mundus interiturus sit?*

Aff. Sed monstrat hoc Scriptura, non dicitur Natura. Fidei est Articulus, non rationis fœtus. Itaq; credendo intelligitur, non intelligendo creditur. Quo verò anno, quo mense, quo die, tanta splendissimi theatri spectabitur ruina? Nolumus ea scire, quæ Deus voluit nesciri.

AXIOMATA.

I. *Mundus perfectè elaboratus est.*

Ma-

Manus Domini quid nisi perfectissimum formet? Hic siderum raptus, hoc terrarum pondus, hi nubi um ac fulminum jactus, quid nisi summam decantant perfectionem?

II. Mundus venustissime ornatus est.

Ex immenso enim pulchritudinis increatae oceano, in stellas, in plantas, in metalla, bruta, & hominem, non rivuli, sed integra pulchritudinis effluxere maria. At

*Pulchrior his pulchris pulcherrimo ipse JEHOVA
A quo habet haec pulcherrima
china, quicquid habet.*

GLORIA DOMINO.

FINIS.

Præbet
divitias Latii.
#

Omnia doctrinae omnis
disciplina procedit
ex præmissa cogniti-
one. Juxta Philosophum.

Pa 655

ULB Halle


006 691 773



3

n.c.

IDA



SYNOPSIS
PHYSICA

JOHANN. Eperlings/
PHYSICÆ PROFESSOR.
PUBLICI.

EDITIO NONA.

in Gratia & Privilegio
Elect. Saxon.

Seneca.

me cuiquam mancipavi, nul-
lius nomen fero: multum
magnorum Virorum Judi-
cio credo, aliquid & meo
vendico &c.

WITTEBERGÆ,

J. Viduæ JOHANNIS BERGERI,
peris MICHAELIS MEYERI,
Anno 1671.

